


DICTIS FACTISQUE SIMPLEX
HENRY D. GILPIN.


HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
ACADEMIAE
VE RI TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
illiam Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

ANTIMACHI

COLOPHONII

RELIQUIÆ

PRIMUM A SCHELLENBERGIO

ITERUM AB I. A. GILES, L.L.D.

AUCTIUS EDITÆ.

LONDINI:

SUMPTIBUS J. BOHN, KING WILLIAM STREET,

CHARING CROSS.

1838.

C. WHITTINGHAM, TOOKS COURT,
CHANCERY LANE.

PRÆFATIO EDITORIS.

Commentationem quam Schellenbergius de vita fragmentisque Antimachi scripsit, iterum publici juris facturus, primo nihil aliud in animo concepi, quam ut librum accurate repeterem. Cum vero forte Diarium Classicum a Valpeio olim digestum manibus versarem, incidi in brevem de Antimacho Notitiam, a Blomfieldio, ut opinor, hodie Episcopo Londinensi, scriptam. Unde fit, ut editionem meam cum notis tum fragmentis paullo augere potuerim. Indicem addidi: necnon fragmenta ipsa, sine notis,

separatim congessi, ut lectori facilitas fieret, si mutilum Auctoris Nostri statum contemplari libuisset.

PROŒMIUM SCHELLENBERGII.

EURIPIDIS Phœnissas a Valckenærio doctissimis animadversionibus instructas nuper tractanti, cum sæpius Antimachi Colophonii mentio injecta occurreret, et ex ejusdem reliquiis nonnihil lucis Statii Thebaidi accendi posse arbitrarer, consilium primum cepi, hujus poetæ quondam in primariis habiti, accuratiorem apparandi notitiam. Inde hæc subnata commentatio est. Nam cum diu jam circumspexissem, quonam modo PATRONIS SUMME VENERANDIS, quorum auctoritate atque beneficiis per hos quatuor annos in hac alma Fridericiana in studiis humanitatis versatus sum, ostenderem, qualem fecerim virium mearum usum, quidve in disciplina WOLFII Viri immortaliter de me meriti, profecerim; non ineptum huic proposito tale scriptionis genus videbatur. Mox, ut fit, amplius rei agere optabam, magna apud me orta cupiditate fragmenta poetæ undelibet contrahendi. Verum cum ad laborem serio accingerer, plura occurrebant, quæ me ab eo tantum non omnino deterrerent, ut parum abesset, quin hoc ipsum propositum penitus abjicerem. Primum enim e judicio Is. Vossii et aliorum, qui affirmabant, ex tam vasto poemate, quale Antimachi fuerit Thebais, ne decem quidem superesse versus, dubitatio venit: quam tamen aliquot libri scrutati aliquantum minuebant. Majus longe erat, quod me maxima parte librorum, quibus stipatus debet esse is, qui hujusmodi laborem conatur suscipere, destitutum videbam. Quæ quidem difficultas singulari hujus Academiæ Professorum, Præcepto-

rumque meorum, humanitate et liberalitate est sublata, quibus pro hoc in me summo amore gratias ago quas possum maximas. Inprimis non sine grati animi testificatione præterire possum FORSTERI et SPRENGELII, VIRORUM ILLUSTRIUM, NOMINA, quorum ille ex instructissima sua, hic ex publica, cui præfectus est, bibliotheca, liberalissime me libris subornârunt. Horum gratiam perpetuo animi studio religiose colam, neque committam, ut hæc beneficia in hominem indignum effusa videantur. Denique multa et hæc quidem maxima aderant impedimenta, quibus collector deperditi scriptoris reliquiarum universe premitur, et quibus tollendis neque ætas neque ingeniolum sufficiebat; quæ hoc loco recensere longum esset. Dicam potius aperte, hujusmodi impedimenta, quæ vinci possint industria et strenuitate, me non facile a re suscipienda avertere. Atque ne animum desponderem, confirmatus sum auctoritate, adjutusque subinde etiam judicio et consiliis WOLFII PRÆCEPTORIS MEI OPTIMI, et ita tandem perfeci, quod majus meis viribus, nec a me plane suscipiendum forsan judicabitur.

Sed ne quis miretur, aut fortasse me arrogantiæ audaciæque accuset, quare hunc libellum, academicæ disputationi destinatum, extra auditorii subsellia protruserim, et publici fecerim juris: libellus sub manu excrescebat in majus, quam ut familiaris rei tenuitas proprio sumtu eum excudi permitteret. Atque ita de eo edendo desperandum erat, nisi bibliopolæ facilitas succurrisset. Nunc me spe consolor hac una, fore, ut aliquando Græcarum litterarum studiosi ex sola locorum collectione, si non ex juvenilibus animadversionibus, aliquem fructum percipiant. At quid omnino in fragmentis, animadvertendo, explanando, vel emendando, pro qualiscunque ingenii modulo fecerim, id quidem melius judicabit eruditus lector, cui tamen a me non scriptum esse, statim ipse observabit. Ut unum ad-

jiciam, prolixior libellus factus est inprimis eo, quod, ubi opus videbatur, sæpe integros scriptorum laudatorum locos adscripsi. At hoc consulto factum est a me, experientia edocto, ne dimidium quidem fructum capere lectores, quibus libri allegati neque ad manum sunt, neque eos evolvendi occasio est; cujus rei sic ab aliis facile veniam me esse impetraturum confido.

Accessit denique Epistola WOLFII, FAUTORIS ET PRÆCEPTORIS, cui, quidquid hoc est amoris mei in has litteras, unice debeo, quæ sane maximum hujus libelli ornamentum debet haberi, atque etsi tempori scripta et disputationi primum ex more sujuncta, ea habet, quæ legisse vel eruditiores homines non pœnitebit, cum ad ipsum scriptionis meæ argumentum quam plurima insint spectantia. TIBI VERO, PRÆCEPTOR EGREGIE, quem Parentis loco veneror, et quoad vivam, sum veneraturus, nunc palam gratias ago, quas privatim me agere semper prohibuisti, pro TUIS to tantisque in me, hominem non alia re, nisi forte industria, observantia, et probato animi candore commendabilem, cumulatis beneficiis, quæ verbis exprimere non valeo; quare tutius et religiosius fuerit, si silentio supprimam, inprimis cum mihi sit verendum, ne aliis gratiam potius aucupari, quam liquidam veritatem proponere videar.

Vale, Benevole Lector, et his primitiis fruere, mihique fave. Scrib. Halæ Saxon. a. d. III. Aprilis MDCCLXXXVI.

SCHELLENBERGIO SUO, S. P. D.

FR. AUG. WOLF.

Redit ad Te, *Suavissime Schellenbergi*, quod mihi nuper tradidisti, specimen doctrinæ Tuæ, publice mox, moderante me, e cathedra defendendum. Redit autem tardius, quam volebam, et Tu forte exspectâras. Sed hujus moræ, vide, ne Tu ipse, qui causam præbueris, ex parte etiam culpam sustineas. Nam gracilem libellum, quales fere sunt, quos hodie in nostris terris isti necessitati scribunt, abs Te exspectanti, volumen exhibuisti magnum et operosum, tantoque apparatu eruditionis conditum, ut vel id, quod flagitabas, non unius horæ esset. Petebas enim, ut a Te scripta veloci oculo percurrerem, et, si quid esset, quod monendum addendumve, vel melius constituendum videretur, subnotarem. Feci id, et quidem curiosius; neque adhuc quidquam alienum inter manus habui, cui majorem sollicitudinem præstare vellem. Ita vero, negotiorum, quæ nunc plerumque frigida animum avocant, intervalla dum arripio, ecce, cessator fio. Quæ ipsa res quamvis Tibi, jam de sarcinis colligendis cogitanti, forsan ingratior acciderit, mihi plus, quam dici queat, voluptatis attulit, cum ita ingenio Tuo exquisita antiquitatis notitia instructo paullo diutius frui, studiique Tui pertinaciam, cujus sæpe antea spectator fuissem, novis subinde exemplis cognoscere mihi daretur. Etenim rerum ipsarum, quas Tibi illustrandas sumsisti, jam coram dixi, *Schellenbergi*, non eam vim et rationem esse, ut solæ me hoc tempore nimium teneant. Atque sunt profecto, quæ apponis, etsi et numero, et bonitate, multorum exspectationem facile superatura, tamen non nisi magnæ cœnæ minuta frustula, et quæ cupiditatem magis moveant, quam satient. Verum in tali periculo non magnopere aut unice spectaverim, quale quantumque sit,

in quo elaboretur; sed in via atque ratione, quam ad res cujuscunque loci obscuriores tractandas et expediendas adhibeas, illud puto contineri, unde, quid quis ex antiquarum litterarum studio profecerit, optime existimare liceat. Est enim in hoc genere communium studiorum, quod criticis præceptis regitur, illud in primis salubre, et ceterarum quoque artium omnium cultui fructuosissimum, ut severis legibus judicandi ac disputandi usu atque exemplis nos adsuefaciat, et ingenium paullatim fingat ad eam subtilitatem, quæ res quasque suo pondere judicat, vanarumque opinionum ludibria dispellit, qua e disciplinis sublata verendum est, ne eruditio omnis, in popularem formulam jam dudum redigi cœpta, mox ad plebem se demittat, et in circulatoriam loquacitatem vertatur. Tu autem cum illam interioris doctrinæ subtilitatem cum argumento eo conjunxeris, quod ipsum non e trivio petitum sit et tale, in quo elaborâsse veteranum non pœniteat; nisi me mei in Te amoris præjudicium fallit, hac disputatione Tua dupliciter laudem doctorum atque intelligentium consequuturus videris. Et ad hoc quidem satis valere poterat una disquisitio de vita et carminibus poetæ Tui, in qua sobriæ illius et accuratæ rationis, qua historica tractari debent, præclara aliquot specimina animadverti. Ceterum voluntati Tuæ ut morem gererem, marginibus hic allevi nonnulla, quæ si Tibi videbuntur digna, Tuis interpones, aut ad annotationes relegabis. Sed tamen, etsi Antimachus Tuus, non minus quam Orestes ille, jam summi plena margine libri scriptus et in tergo est; nec nunc eum finitum vel ab omni parte absolutum putabis.

Ita vellem, in loco de Antimacho grammatico circumspectius versatus esses. Quamquam ex altera parte forte timiditas Tua fecit, ut ab eo, quod vero erat simillimum, Te abduci patereris. Primum hic miratus sum, quod Te non adverterit locus in Schol. ad Hom. Il. ε. 389, inter Fragmenta abs Te infra repositus. Quem locum si quis huc advocet, eoque simul fidem adferat Suidæ, qui Antimachum poetam et grammaticum eundem ponit, quid reponas? Scilicet Scholiastes ille, Antimachum Colophonium laudans, verbo utitur παραδιδόναι, quod sollenni usu de Grammaticis

seu poetarum interpretibus dicitur, quorum proprie est παράδοσις. Hoc ex Eustathii lectione Tibi tritum esse potest, facitque, ut res, ab Antimacho ap. Schol. prodita, e commentario critico petita videri debeat. Ita demum vides anguem in herba latentem! Qui si prius objectus esset, minus circumspexisses, puto, auctorem, qui Suidæ fidem infirmaret. Invenisti Tu quidem Tatianum. Modo vide, ne intestabili, aut dubiæ auctoritatis testi, alium opponas æque intestabilem, quod, ut in foro, ita in historia, facere non licet. Certe, si de singulari libro Antimachi super Homero Tatianus intelligendus est, ut videtur, equidem quovis pignore contenderim, scriptorem hic non minus esse falsum, quam in eo, quod Herodoto historico Homeri Vitam tribuit. Nam scriptum illud, Herodoti nomine vulgatum, et nuper admodum a Woodio defensum, scis, qua una ratione vincam, miselli ludimagistri et serioris ætatis fœtum esse, ejusdem fere, quæ Certamen Homeri et Hesiodi viderit natum. Libellus enim a nemine antiquiorum memoratur, qui in tanta dubitatione de Homero suo, si antiquissimi historici auctoritatem reperissent, hanc certe minime omnium neglecturi fuisse videantur. Sed, ne isto Scholio diutius Te vexem, non adeo proprietatis diligentes in sermone suo scholiastæ sunt, ut tali argumento niti possis. Atque idem verbum παραδιδόναι de poetis legitur in iisdem Schol. ad Il. γ. 314, ubi Ἕκτορα Ἀπόλλωνος υἱὸν παραδίδωσιν Ἴβυκος, &c. eodemque modo ap. Apollon. Lex. Hom. v. Μολίονε de Hesiodo adhibetur. Nam cur ibi Cl. Villoisonus pro Ἡσίοδος tentet Ἡλιόδωρος, causam non video, neque ipse apposuit.

Sic hactenus nihil obstat, quo minus Antimachum grammaticum a poeta Tuo diversum et posteriorem habeamus. Et, ut Tu præclare vidisti, magnum rei momentum ipsa ætas habet, qua vixit poeta, ut qua grammaticæ neque professio nec nomen Græcis erat cognitum. Nam quod interdum illius ævi aut prioris adeo scriptoribus grammatica scripta assignantur, id levitati seu inscitiæ auctorum imputabis; ut v. c. Diogenes Laert. Democrito criticos aliquot libellos, et in his, si Dîs placet, etiam Onomasticum tribuit. De Antimacho autem, accedit quod nullum auctorem

præter Suidam proferre poteris, qui *Colophonium* pro grammatico habuerit. Nec scio, an, Eustathio excepto, ullus antiquus scriptor editus sit, qui laborum Antimachi in Homerum meminerit. Meminit vero in his non, ut dicis, Antimachi Tui, neque usquam ita auctorem designat suum, ut Colophonius intelligi debeat. Immo locus est Eustathii, ubi diserta mentio grammatici occurrit, ubi non dubitem, quin ipse interpretem Homeri a cognomine poeta distinguere voluerit, quem alibi vel Colophonium citat, vel nudo nomine appellare solet. Locus is est ad Il. ο. 119, in quo Antimachus auctor adfertur pravæ interpretationis, quæ Δεῖμον et Φόβον nomina equorum Martis accepit. Ibi adducitur ὁ γραμματικὸς Ἀντίμαχος. Alium quidem locum in Eustathio non invenio, ubi grammatici nomen Antimacho ei, cujus lectiones adhibuit, additum sit, sed nusquam item Colophonium diserte laudat in re, quæ ad critici auctoritatem redeat. Quæ autem ex illius commentariis in Homeri Iliadem adferuntur (ad Odysseam nihil reperi) talia sunt, quæ profecto ego non doctissimo poetæ imputârim. Notâsti Tu ipse duo locos. Horum altero ad Il. φ. 397. satis putida, et ipsâ glossâ Homeri, hoc uno loco lectâ, obscurior Antimachi conjectura expromitur, ὑπονόσφιον ἔγχος. In altera et docta animadversione Eustathii ad Il. ψ. 870, ejusdem emendatio versus valde vexati adfertur; sed eam notam jam a Clark. excerptam video. De eodem grammatico intelligam Eustath. ad Il. ρ. 133, ubi veterum quorundam sententias de illis versibus apponit, quos ob voc. λέων Zenodotus adeo ejectos volebat. Illic legas, quid miseros torserit. Difficultatem tamen nec hic perquam docte Antimachus sustulit, cum dixit, καὶ τὸν ἄῤῥηνα λέοντα σκυμναγωγεῖν. In promtu erat, quod bene animadvertit Eustath., λέοντα pro λέαιναν dictum sumere, ad grammaticam rationem non id quidem satis accurate, sed, ut in simili differentia ceteris Græcis, et prosaicis, et aliis quoque linguis, usitatum est; idque in Homero eo magis, quod feminina forma λέαινα serior est, et apud poetam nondum obvia. Sed quid in his moror? Provocas Tu ad Cl. *Villoisonum*, qui docuerit, in aureo suo codice Iliadis Homericæ etiam Antimachi Colophonii lectiones, et has e duabus ejus diver-

sis recensionibus exhiberi. Docuit id utique Vir ingeniosissimus, et spes etiam facta in Epistola, ad *Formeyum* V. Ill. Venetiis a. 1779 data, quæ ad manum est.—Post paucos menses ipsum opus habebimus, in quo quid inventuri simus, nunc ambigere velle inhumanum est. Tantisper tamen nonnihil dubito, an fasciculus Tuus inde tam egregie augeri possit. Etenim in codice Homeri Lipsiensi, cujus excerpta ad crisin Homeri pertinentia in manibus meis sunt, quæ ipsa, ut speramus, Villoisoniana editio continebit, mentio habetur ejusdem illius Antimachi, qui in Homerum commentatus est, sed duobus tantum in locis, et ita, ut de priore res mihi non omnino liquida sit. Jam tertium etiam locum *Berglerus* in Indice ap. Fabric. B. G. ponit, at dubitanter. Et recte. Nempe ad Il. ε. 507, Scholia illa monent, modo eorum sensum recte capiamus, olim nonnullos ante μάχῃ interpunxisse, hac voce adeo ad seqq. rejecta, pro ἐν μάχῃ, ut Il. α. 521., cum alii comma post μάχῃ ponerent, ut nunc in editis et ap. Eustath. fit, et unice probatur. Ibi igitur in Schol. e verbis ἀντὶ μάχῃ natus est Ἀντίμαχος.—In priori scholio ad Il. γ. 197. ad πηγεσιμάλλῳ adscriptum est μελανομάλλῳ, quo modo vocem Hom. a nonnullis veterum Grammaticorum acceptam esse, ex Eustath. et Glossographis constat. Mox apponitur: Καὶ Ἀντίμαχος τὸ λευκὸν ὡς ἀντικείμενον τῷ πηγῷ λαμβάνει. Alterum scholion est ad ε. 461., ubi in varia et scribendi et distinguendi ratione, quam olim hic excogitârunt, Tu mecum mireris doctam Criticorum μικρολογίαν. Nam in eo versu nostra lectio facillima, Τρώων δὲ στίχας, a Schol. plane non adfertur, ut nec memoratur ea ab Eustathio, sed videmus, Grammaticos dubitâsse, lectionem tum vulgatam Τρωας utrum adjective Τρωὰς pro Τρωϊκὰς, an pro substantivo Τρῶας acciperent; et qui id, quod ultimo loco posui, præferrent, ii rursus quærebant, ὑποστιγμὴ post δὲ, an post στίχας melius poneretur. Ita, qui prius vellent, duriter admodum verba ordinabant, Τρῶας δὲ οὖλος Ἄρης μετελθὼν, στίχας αὐτῶν ὤτρυνε, et qui posterius, Τρῶας στίχας per appositionem, quam vocant, pro Τρώων στίχας accipiebant. Mox Schol. notat, Τρωας etiam cum Iota (quod vulgo nunc subscribimus) exaratum inveniri in

recensione *Sinopensi* et *Cypria* et *Antimachi*. E docto hoc scholio, ὁδȣ̃ πάρεργον, editionem Homericam cognoscis, ex editis libris, quod scio, nondum notam. At hic unus in eo codice locus est, ubi Cypriæ editionis mentio fit; cum altera, Sinopensis, cujus et Eustath. meminit, alio præterea loco laudetur, qui miram varietatem lectionis ex editionibus Græcorum habet. Est is Il. β. 258. ubi in Schol. legimus: Πτολεμαῖος κιχείομαι γράφει. Αἱ μὲν Ἀριστάρχȣ (n. sæpius Schol. ille de binis recenss. Aristarchi loquitur) εἶχον· Εἰ δέ τι σὲ—ἡ δὲ Σινωπητικὴ εἶχε· κιχήσομαι ὡς τὸ πάρος περ—ἡ δὲ Μασσαλιωτικὴ· ὕστερον αὐτȣ̃—ἡ δὲ κατὰ Φιλήμονα· ἐν Δαναοῖσι. Ubi quatuor clausulas in uno versu lucraris, simulque Philemonis, critici Homerici, notitiam. Sic sæpe horum Scholl. collector solet auctoritate veterum Grammaticorum uti, et in uno libro secundo nomina et judicia Zenodoti, Apollonii, Ptolemæi Ascalon., Tyrannionis, Epaphroditi, Callistrati, Ixionis, aliorumque, minus etiam notorum, reperimus. Horum nonnulla Tecum hic communicarem, cum Cl. *Wassenberghii* industria in priore libro Iliadis substiterit, nisi, quod dixi, spes esset, hæc et longe plura ejusdem generis Villois. opere mox proditurum iri. Jam si post longiorem hunc sermonem Tu forte quæras, sitne grammaticus Antimachus a poeta vere discernendus; et qui sit, quandoque vixerit? alterum indiciis a me allatis utique puto non obscure elucere, alterum autem nondum constare. Hoc nec mirum Tibi esse videatur, cum tot alii Alexandrini scriptores, et antiquiores et recentiores, nobis nomine tenus innotuerint, aliorum multorum memoria omnino intermortua.

In eadem scriptionis tuæ priore parte, nunc demum in oculos incurrit auctor τῆς ἀναγραφῆς Ὀλυμπιάδων a Te laudatus, tamquam antiquus testis, et qui cum Diodoro Sic. componi possit. Sed ea opinio vana est, etsi a pluribus Chronologis, aliisque doctis et ab ipso Baylio, disseminata. Quare, ne Tibi in re graviore aliquando fraudem faciat, scito, anonymum illum Auctorem descriptionis Olympiadum non alium esse, quam *Scaligerum*. Is e variis veterum libris, quos tamen nunc, ut puto, omnes editos habemus, eam primum privato studio confecit, post editioni suæ Chronici

Eusebiani adjunxit. Neque id fecit vir maximus ea mente, ut aliis imponeret, sed ut haberent, ubi præcipuas res cum temporum notatione sub uno adspectu positas percurrerent. Monuerunt de hoc jam alii, ut *Corsin.* in Fast. Att. T. II. p. 4. Hinc sæpe e depravatis codd. auctorum, quos *Scaliger* in illa ætate adhibere poterat, vitia in libellum irrepserunt; interdum tamen etiam in talibus locis criticam operam navavit.

At forte Tibi parum exoptatus præses disputationis videor futurus, qui nunc in nonnullis adversarius sim. Itaque hæc mittam, et relinquam iis, qui Tecum disputabunt. Et in altera quidem parte jam satis multa reperies a me adscripta, cum ad explicandum, tum ad sedem versuum probabiliter indagandam. Auxi etiam aliquot fragmentis. Ita hactenus voluntati Tuæ plus quam satisfecisse mihi videor, et plura hinc inde additurus eram, nisi me deterruisset Lucina Hemmerdeana, quæ vel sic, in tanta mole scripti academici, precibus a nobis fatiganda erit, ut opem ferat. Neque id abs Te exspectatur, ut in argumento tam docto ceteris nihil relictum facias, cum susceptam rem peregeris ultra ætatem laudabiliter. Equidem nunc unum reperio, quod Te moneam. In fragmento LVII. conjecturæ meæ facile anteferre poteras antiquiorem I. *Rutgersii.* Certe hanc non ob formam conjunctivi reprobare debebas. Uno enim puncto sub *δύπτῃσιν* abjecto habebis indicativi formam, grammatici Ibyceam a Lyrico vocant, ut pro *ει* in fine verborum act. præs. temp. scribatur *ησι*, sed nullo Iota subscripto. Quam ipsam formam aliquot locis Homeri notare licet, ubi cum reliquis editoribus ipse, sed prudens erravi, ne vitium typothetæ commissum multi crederent. Nam punctum abjiciendum erat sub *παμφαίνησι* Il. *ε*. 6., ubi b. Ernestus obiter monet, in MS. Lips. nullum Iota subscr. apparere. At hoc semper fere in illo codice, ut in aliis, neglectum est. Sic et Il. *ι*. 323 *προφέρησι* scribendum, et in utroque versu nulla vis est conjunctivi. Tum et Odyss. *η*. 197. eandem formam reposuerunt nonnulli veterum, qui pro *ἅσσα οἱ αἶσα, κατακλῶθές τε βαρεῖαι* scribere mallent, *ἅσσα οἱ Αἶσα κατακλώθησι βαρεῖα.* Ceterum hoc judicium, id quod in similibus non raro fieri vidisti, simul

tollit seq. versum, ab iisdem adeo criticis pro spurio habitum. De illa observatione pauca, et ad hunc unum locum Odysseæ, attulit Eustath. p. 1576 extr., cum ad Il. ε. nihil dedisset, unde videas παρεκβολικὴν negligentiam. Cf. cum his Lesbonax π. σχημ. et Valcken. not. p. 179. post Ammon.

Habes, mi *Schellenbergi*, epistolam sat loquacem. Sed loquacem fecit non tam otii abundantia, quam mea erga Te benevolentia. Quem enim magis et impensius diligam, quam eum, qui, ex quo huic academicæ institutioni operam dedi, tanto me studio sectatus sis, atque, sacris litteris jam tum bene imbutus, antiquitatis quoque litterulas tractandi cupidissimus, paucorum eorum cœtui accesseris, qui numerum ardore et studiis compensarent; eumque, qui industria, integritate, modestia et animo, qualem humanitatis artes fingunt et requirunt, ceteros etiam doctores Tuos, et bonos omnes apud nos Tibi conciliaveris, qui denique nunc in ipso discessu a nobis tam carum pignus necessitudinis nostræ relicturus sis. Quod, cum patriæ Tuæ, Patronis et optimo Parenti, de tali cive, alumno, filio gratulandum putem, ego mihi non gratuler, mihi non gaudeam? hoc crede unum et suave solatium nobis relictum, qui in rebus, tam parum honoris in vulgus habentibus, assidue docendis versamur. Atque nata hinc voluptas, cum conscientia recte factorum conjuncta, una nobis erigit spem eam, quæ in dies nunc magis inciditur, quandoquidem per tot novos hierophantas veteris disciplinæ, a doctarum linguarum et historiæ usu procedentis, rationem hodie callide ita perturbatam videmus, ut ea studia, quæ facem præferunt ceteris omnibus, pæne in contemtum adducantur, aut per illos ipsos malignius laudentur, qui se melioris doctrinæ antistites ferunt, sed quorum sæpe interest, discipulos a cultu litterarum rudes habere, quo facilius eos in sui admiratione teneant. Vale, *Schellenbergi*, mihique amorem Tuum, etiam absens, si merui, conserva. Dab. mens. Mart. 1786.

DE ANTIMACHI COLOPHONII VITA ET OPERIBUS VETERUMQUE DE EO JUDICIIS.

Ab eo, qui veteris auctoris, cujus una cum scriptis memoria pæne intercidit, elogia atque reliquias hinc inde dispersas colligere et commentari in animum induxit, exspectet non immerito aliquis, ut universi hujus consilii rationem et utilitates in limine ostendat, ne operam suam in rem frivolam et infructuosam impendisse judicetur. Nec vero his tantum, qui nulla antiquitatis notitia instructi, secundum Heracliteum illud, πιθήκων κάλλιστοι, nil nisi suam artem crepant et efferunt, sed multis etiam ceterorum, qui diligentius in tractandis antiquis scriptoribus occupantur, studio indigniore videar defunctus, in eo præsertim poeta, qui cum ipse olim carmen aliquod suum Græcis auditoribus recitaret, desertus prope est ab omnibus;* ut adeo is, qui illius carminis disjecta tantum membra apponat, doctorum approbationem multo minus possit jure sperare. Verum enimvero plures causæ sunt eæque haud leves, quibus hodie etiam ad hæc ipsa frustula congerenda et a sordibus purganda invitamur. Sed hæ variæ reperiuntur esse ac diversæ pro ipsorum scriptorum usu atque ingenio. Sunt enim, quorum si insigniora loca e scriptis olim celeberrimis decerpta reperire contigerit, cognitio isthæc non parum conferre

* Cicero in Bruto, c. 51. Non posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum, Clarium poetam, ferunt, qui cum convocatis auditoribus legeret magnum illud, quod novistis, volumen suum, et eum legentem omnes, præter Platonem, reliquissent, *Legam*, inquit, *nihilo minus: Plato enim mihi unus instar est omnium millium.* Et recte. Poema enim reconditum, paucorum approbationem; oratio popularis, assensum vulgi debet movere.—Loco hoc sæpius in ipsa disputatione uti debebimus.

possit ad ceterorum ejusdem generis auctorum ingenium pernoscendum, meritaque penitius cernenda. Nam cum semper fere ad antiquius aliquod exemplar excellentis formæ quisque posteriorum sese composuerint, indeque sæpe spiritum, operisque colorem, verba adeo atque sententias duxerint, facile est ad æstimandum, nobis nunc, quo melius illud renovare, et e lineamentis passim sparsis iterum quasi informare possimus, eo magis de horum indole constare, eoque certius artem intelligi judicarique a nobis posse. Sunt autem alii, quorum nominibus fere solis fata pepercere, servatis e scriptis eorum nonnisi paucissimis, quos tamen seculum suum præclare illustrâsse, magnamque vim ad universum litteraturæ progressum habuisse in comperto est. Horum memoria instauranda, ad hominumque notitiam denuo prodenda, nullus dubito, quin quis bene mereatur de artium ac litterarum historia, quæ ut plena et perfecta sit, non modo horum, quos benignior fortuna nobis concessit, sed ceterorum etiam auctorum, fama operum quondam illustrium, notitias complecti debet. Atque hoc unum jam satis valere apud me poterat, ut Antimacho, de quo hucusque pauca a viris rei litterariæ peritis et sparsim tradita sunt,* operam qualemcunque meam dicare constituerem. Sperabam præterea, cum primum hoc consilium inirem, studium hoc nonnihil profuturum etiam Latino poetæ, Papinio Statio, quem a pluribus diligentem Antimachi imitatorem haberi videbam.† Itaque in hujus fragmentis explicandis quam maxime occupatus, non defugi laborem Statianæ Thebaidis accurate perlegendæ, si quid esset, quod ad alterutrum poetam in majore luce ponendum facere, vel alio modo meo consilio inservire posset. Attamen

* V. Tanaq. *Fabri* Vit. poet. Græc. T. X. Thesauri Gronov. p. 779. *Meurs.* Biblioth. Gr. ibid. p. 1226. *Pinedo* Breviar. auctor. a Steph. Byz. laudatorum p. 754. *Vossius* ad Catull. p. 323. G. Io. *Vossius* de Poet. Gr. 1, 6. *Küster* ad Suid. T. I. p. 224. *Fabric.* Bibl. Gr. II. 15. p. 570.

† V. Barth. ad Statium Theb. I. 452; III. 466; IV. 45; V. 92; VI. 314. 463. alibi. cf. Fabric. Bibl. Lat. II. 16.

otii in hoc non semper jucunde consumti dispendio fructum valde imparem fuisse sensi, et dicam postea disertius. Non dubito tamen, quin a doctioribus et critica arte magis imbutis hæc res adhuc melius perfici possit, quam juvenili conatu meo nunc factum est. Quodsi vero ista spes, Latini poetæ e Græco fonte illustrandi emendandive, omnino ad irritum ceciderit, alia insuper in promtu sunt, quæ Antimachi studium antiquarum artium cupido possint commendare, tenuemque hanc a me insumtam curam fructu suo non prorsus expertem ostendere. Inter quæ unum mihi liceat attingere Cel. Suchforti verbis,* quod ad nostrum apprime pertinere videtur. Nempe in talibus, quamvis abruptis et mutilatis deperditorum carminum particulis, multa passim vestigia doctæ antiquitatis poterunt animadverti, complectunturque adeo sylvam quandam uberem et copiosam omniumque fere rerum confertam, quæ animum varietate plurimum delectare, discendi avidum multum juvare, et elegantioris doctrinæ studioso jucundissimum præbere possit pabulum, quo ingenium alatur et acuatur. Historiæ quidem et antiquitatis copiæ rerum multarum exquisita et eleganti doctrina ditari ex iis et locupletari possunt, imprimis si in fontes et origines alicujus narrationis inquirere constitueris. Insigni etiam rerum, ad terrarum regionumque descriptiones remque mythicam pertinentium, copia fragmenta ista florent et abundant. Harum igitur rerum studiosi, non est dubium, quin multa ab his reliquiis non ad voluptatem solum jucunda, sed utilia etiam et necessaria petere, exque iis haurire possint, quibus illas doctrinas ditare et illustrare valeant. Accedit ad hæc, quod Antimachus poeta is est, qui exquisitioris dictionis poeticæ laudem apud antiquos habuit, et rarioribus ab usuque vulgari abhorrentibus vocabulis præ ceteris, et ad obscuritatem usque† abusus est, unde factum, ut hunc maxime sedulo legerent Alexandrini poetæ, ejusque doctum sermonem imitando ex-

---

* Fragmenta Stesichori lyrici. Goetting. 1771. p. 4.

† V. Ernesti Ind. historic. in Ciceron. v. Antimachus.

primerent. Ita in talis poetæ vel minutis reliquiis multa cognoscere, quæ alibi nusquam, atque ex his sermonis adeo Græci copiam eximie augere licet. Quæ quidem si una esset opellæ meæ utilitas, non frustra laborâsse mihi viderer. Sed hoc judicium sit penes justos doctosque harum rerum arbitros, quibus cum timore et reverentia specimen hoc propono, et, ut æqui bonique consulant, vehementer cupio.

Jam primum enarrabo, quæ de vita, fortuna et rebus Antimachi nostri cognita habemus, quamquam pauca sunt, quæ de his servavit antiquitas, per monumenta hodie nobis cognita. Patria ei fuit urbs Ioniæ nobilissima, Colophon, seu Clarus vicina, fano Apollinis veterique oraculo celebris.* Ambigitur enim, utra harum natales poetæ viderit. Plerique quidem Colophonium eum appellant: non desunt tamen, qui Clarium diserte dicunt, Cicero et Ovidius.† Jam cum hi loci finitimi ac vicini inter se fuerint, facile aliquis in eam sententiam adduci possit, ut Ovidium poetica ratione Clarium pro Colophonio dixisse putet. Superesset vero sic Ciceronis auctoritas, quæ, si lectio ejus omnino explorata et certa esset, nullam forte dubitandi causam relinqueret. Sed ubi recentiores *Clarium poetam* legunt, ibi olim in editionibus scripserunt *clarum;* nec, quæ genuina sit scriptura, equidem decernere ausim.‡ Quod si prior verior est, facile fieri potuit, ut, Clari licet natus, a majore et nobiliore urbe Colophonii nomen vulgo acceperit; imprimis si reputes, quod suspicari multa suadent, eum maximam ætatis partem Colophone egisse. Atque idem contigisse videtur Nicandro, quem plures Colophonium vocant, quamvis ipse Κλάρον νιφόεσσαν πολίχνην patriam suam nuncu-

---

* Hinc *Clarius Apollo.* Cellarius N. O. A. T. II. p. 77, addubitat, oppidum fuerit Clarus, an lucus tantum sacer cum fano dei. At πόλις, ut vocatur passim, ita fuit certe Græca vi vocabuli. cf. Salmas. Exercc. Plin. p. 604. G.

† Cic. Brut. l. c. Ovid. Trist. I. 6, i. ubi v. Ill. Harles.

‡ In Ernestina exstat *Clarium,* ubi in notis ὁ μακαρίτης nil monuit.

paverit.* Quod quidem eo verisimilius est, cum Apollinis oppidum Colophoniorum ditioni subjectum fuerit, unde deus ipse nonnunquam Colophonius dicitur.† Ita non magnæ dubitationis res est; quamquam, recentiore lectione in Cicerone adoptata, dicendum sit, poetam, si Colophone natus esset, vix recte Clarium ab oratore Romano vocari potuisse. Quippe hujus rationis in aliis illustribus Colophoniis exemplum adhuc desidero, nempe ut Clarii appellentur.

Etenim illa urbs non bellis tantum inclaruit, in quibus equitatus robur locum adeo dedit proverbio,‡ verum etiam pacis artibus conspicua, præcipue poetis edendis secunda fuit. Ex ea oriundus erat, ut alios mittam minus nobiles, Mimnermus, elegorum scriptor præstantissimus, cujus nonnulla etiam nunc manibus nostris teruntur; ex eadem Xenophanes philosophus, et diu ante Timonem Phliasium Sillorum auctor; nec non Polymnestus a Pindaro laudatus,§ Hermesianax elegiis clarus, quarum egregium fragmentum nobis Athenæus‖ servavit: Phœnix Iambographus; alii, quibus ipsum quoque Homerum accensebant.¶ Horum omnium memoriæ Nicander, et ipse, ut dixi, Colophonius, singularem librum consecraverat, cujus mentio fit apud ejus Scholiasten.** Quem librum si versare hodie liceret, non tam solliciti essemus de rebus ad Antimachum pertinentibus, illiusque et vitam et ingenium longe certius

---

* V. Ther. vers. ult. Cf. Dionys. Phaselit. in gr. Vit. Nicandri.

† V. omnino Ez. Spanhem. ad Callimach. H. in Apoll. v. 70.

‡ Strabo XIV. p. 643. (ed. Almelov. 952.)

§ V. Schneideri V. Cel. Fragmm. Pindar. p. 89., ubi Vir Eruditiss. a se parari dicit *Antiquitates Colophoniacas*, quas in parte opusculi mei ad manus mihi esse sæpius optavi.

‖ Deipnos. XIII. p. 597. Habemus illud fragmentum nunc doctissima animadversione summi Critici, Ruhnkenii, illustratum, post *Epistolas criticas* ex altera edit. Lugd. B. 1782. 8.

¶ V. Küsteri Hist. crit. Hom. P. I. Sect. I. et cf. quæ dicam ad Fragm. XCII.

** Ad Theriac. v. 3. Citatur περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν.

cognosceremus. Nunc ex iis, quæ in veterum libris obiter de eo dicta occurrunt, nostra petere et utcunque concinnare debemus.

Ætas ejus satis certa plurium auctorum testimonio est. Nam primum Diodorus Sic., qui alioqui rarius doctorum virorum tempora annotare solet, ex Apollodoro memorat, hunc sub belli Peloponnesiaci exitum et annum, quo Artaxerxes Mnemon Dario patri successit, nominis celebritate floruisse.* Tum aliæ narrationes hoc confirmant, apud Ciceronem, Plutarchum † aliosque obviæ, quæ Lysandrum imperatorem et Platonem philosophum ejus æquales faciunt. Accedit his Suidas Lexicographus,‡ cujus notitia, etsi illis auctoritate utique cedat, melioribus nunc deficientibus, a nobis in partes vocanda est. Ibi memoratur fuisse Hyparchi filius, auditor Panyasidis et Stesimbroti, et ante Platonem vixisse, seu potius natus esse. Hoc posterius enim si in Suida sumamus, omnino hic, quod jam monuit Küsterus, cum reliquis scriptoribus, nominatim Plutarcho,§ in concordiam redit, quippe qui Platonem æqualem quidem

---

* Diod. Sic. XIII. 108. belli Peloponnesiaci historia ad finem perducta, pergit: Μικρὸν δὲ τῆς εἰρήνης ὕστερον ἐτελεύτησε Δαρεῖος ὁ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς, ἄρξας ἔτη δεκαεννέα· τὴν δ' ἡγεμονίαν διεδέξατο τῶν υἱῶν ὁ πρεσβύτατος Ἀρταξέρξης, καὶ ἦρξεν ἔτη τρία πρὸς τοῖς τεσσαράκοντα· καθ' ὃν δὴ χρόνον καὶ Ἀντίμαχον τὸν ποιητὴν Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖός φησιν ἠνθηκέναι. Apollodori locus in opere Chronicorum fuit, de quo v. Ill. Heyne ad Apollod. Fragm. p. 1089. Belli finis et Artaxerxis in Persarum regno successio incidunt in annum quartum Ol. 93. A. Ch. 405.

† Vit. Lysandri p. 443. C. ed. Frcof. Verba mox accuratius a me adducentur. Ita alios quoque locos hic tantum innuere, posthac diligentius adferre licebit, ut chartis parcatur.

‡ Voc. Ἀντίμαχος. Κολοφώνιος, υἱὸς Ὑπάρχου, γραμματικὸς καὶ ποιητής. Τινὲς δὲ καὶ οἰκέτην αὐτὸν ἀνέγραψαν Πανυάσιδος τοῦ ποιητοῦ, πάνυ ψευσάμενοι. Ἦν γὰρ αὐτοῦ ἀκουστὴς καὶ Στησιμβρότου. Γέγονε δὲ πρὸ Πλάτωνος. Hæc Suidæ suo more excerpsit Eudocia Viol. p. 61.

§ l. c. Πλάτων, νέος ὢν τότε, καὶ θαυμάζων τὸν Ἀντίμαχον ἐπὶ τῇ ποιητικῇ κ. λ.

Antimacho ponit, sed juvenem adhuc eo tempore, quo iste jam facultate carminis gloriam famamque sibi comparâsset. Itaque nihil obstare puto, quo minus nostrum poetam circa Olymp. 83. natum dicamus. Floruit autem, ut Diodorus prodidit, cui auctor τῆς Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῆς assentitur,* tempore maxime belli Peloponnesiaci, h. e. Olymp. 92. A. Chr. 412. Ab V. C. 342. ultra quod tempus tamen ætatem produxisse probabile fit.

De præceptoribus præterea, Panyasi et Stesimbroto, quibus usus noster fuerit, quæ Suidas habet, e quo fonte fluxerint, non habeo dicere. Nusquam alibi illius famæ vestigium inveni, eamque pro certa equidem nemini venditem. Panyasis hic innui videtur celeberrimus poeta epicus, Heracleæ auctor, quem Olympiadum Descriptio modo laudata cum aliis circa Olymp. 78. in vivis fuisse docet.† Stesimbrotus vero quis fuerit, non æque certum est. Sed quoniam a Tatiano‡ una cum Theagene Rhegino et Antimacho nostro Stesimbrotus inter eos adducitur, qui de Homero ejusque poesi scripserint, credibile fit, Stesimbrotum Suidæ dictum eundem esse, quem Plato in dialogo quodam suo,§ et plures alii celebrant. Hunc autem Ste-

---

* Ad Olymp. 93, 4. Διονύσιος τῶν Συρακουσῶν κυριεύει. Ὁ Πελοποννησιακὸς πόλεμος τέλος ἔσχε. Δαρεῖος τελευτᾷ ἄρξας Περσῶν ἔτη ιθ. Ἀντίμαχος ποιητὴς ἤκμασεν.

† Cf. de eo Eruditiss. Heyn. ad Apollodor. p. 991. scriptoresque ibi citatos.

‡ Ἐν Λόγῳ πρὸς Ἕλληνας §. 48. p. 160. ed. Par. Περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου, γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου, καθ' ὃν ἤκμασε, προηρεύνησαν οἱ πρεσβύτατοι μὲν Θεαγένης ὁ Ῥηγῖνος, κατὰ Καμβύσην γεγονὼς, καὶ Στησίμβροτός τε ὁ Θάσιος, καὶ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος, Ἡρόδοτός τε ὁ Ἀλικαρνασσεὺς, καὶ Διονύσιος ὁ Ὀλύνθιος. Quem locum exscripsit Eusebius Præp. Evang. X. p. 491. ed. Vig. ubi male legitur Καλλίμαχος ὁ Κολοφώνιος : sed ibi mendum jam indicârunt Jonsius de Script. H. P. 1, 3. p. 20. et Bentleius ad Callimach. Fr. 390. p. 561. ed. Ern.

§ Ion. p. 12. ed. Müller V. Cl. et ibi Not., quæ Xenophontis ceterosque locos indicabit.

simbrotum Thasium, Periclis ævo vixisse, ex Athenæo* scimus, quod plane cum Antimachi annis congruit. Ipsa fama, quæ hunc illius discipulum facit, nihil puto incertius, ut altera apud Suidam, quam in nota, qui volet, legat, nihil etiam absurdius.

Hæc fere sunt, quæ ad historiæ fidem de nostro narrari possint, pauca, fateor, at plura tamen, quam hodie de aliis multis superstitum auctorum comperta habemus, in quorum natali loco ipsaque ætate non raro in summa versamur dubitatione. Longe plura de ejus fortuna sciremus, si uni carmini Lydes edax tempus pepercisset, in quo de rebus suis variisque casibus non pauca inesse debuerunt. Pateret hinc forte etiam, ubi locorum potissimum degerit, de quo nunc non nisi conjecturis certare licet. Athenis eum aliquod tempus vixisse, Platonis familiaritas cum eo contracta fidem facere possit, ipsaque quoque Ciceronis narratiuncula, si quidem volumen suum Atheniensibus lectum existimemus. Equidem veri speciem quandam his conciliari posse sentio, remotiorem tamen ab historica veritate. Probabilius est, Antimacho in urbe natali Colophone domicilium fuisse, maximamque ibi ætatis partem ab eo consumtam. Hoc certe ut ponamus, faciunt duo loci, Hermesianactis in Elegia statim ad partes vocanda, et Procli in Commentario ad Platonis Timæum, de quo loco disertius infra dicendum erit. Jam Elegographus etsi in iis, quæ Hesiodo, Anacreonti aliisque in carmine tribuit,† nullam nec meretur nec invenit fidem, tamen in his, quæ de poeta nostro ejusque in Lyden amore prodit, utpote quæ tempori suo propiora erant, pro locupletiore teste haberi recte poterit. In illis enim, temporum intervallo obscuris, et fabularum ludibrio passim jam deflexis, ei liberum erat, vel priora iterare vel nova fingere; cum in rebus hominis ferme æqualis, et quem plures adeo lectorum adhuc vidisse

* Deipnos. XIII. p. 589. E.

† V. 21. sqq. 51. sq.

poterant, idem minus licuisset.* Qua quidem fide poetæ utcunque vindicata, non video, quidni eum de Antimacho canentem sequi possimus. Narrat autem,† nostrum insano amore puellæ Lydes captum ad Pactoli flumen, h. e. Lydiam se contulisse, ubi aliquamdiu desedisse videtur compos votorum. Ibi vero deinde amatam præmatura morte videt exstinctam, et, ossibus ejus lectis, loca gaudii ante, nunc doloris plena, relinquens Colophonem revertitur, ibique tandem cum tempus levamen luctus attulisset, libros in defunctæ honorem componit. Quæ quidem, a Hermesianacte narrata, si cum iis conferamus, quæ de scriptis Antimachi Colophone repetendis Proclus habet,‡ vere

---

* Hermesianax floruit circa Ol. 112. A. Chr. 332.

† Ipsi versus ex Hermesianactis Elegia, qua perdite amantium fortunam persequitur, a v. 41. sqq. adscribendi sunt, ut, quid inde duxerim, appareat, quandoquidem plura vulnera habent:

Λύδης δ' Ἀντίμαχος Χρυσηΐδος ἐκ μὲν ἔρωτος
Πληγεὶς, Πακτωλοῦ ῥεῦμ' ἐπέβη ποταμοῦ.
Λάρνακι νὶν δὲ θανοῦσαν ὑπὸ ξηρὴν θέτο γαῖαν,
Καλλίον' ἵξαον δ' ἦλθεν ἀποπρολιπὼν
Ἄκραν ἐς Κολοφῶνα· γόων δ' ἀνεπλήσατο βίβλους
Ἱρὰς, ἐκ παντὸς παυσάμενος καμάτου.

Recepi hic pro *Δαρδάνην δὲ θανοῦσαν*, quod Athenæus præbet, ingeniosissimam Cel. Ruhnkenii conjecturam, *λάρνακι νὶν δὲ θαν.* Mox in *καλλίον' ἵξαον* nemo dubitet oblitteratum esse nomen loci Lydii, quod forte olim felicius ingenium reperiet. Ruhnkenius nihil hic attulit, nec tamen probare videtur Lennepii emendationem in Animadv. ad Coluth. p. 169. propositam: *καὶ Λυδίην ἵξεν δῆθεν ἀποπρ.* Ultimo versu *ἱεραὶ βίβλοι* designant Lyden, Antimachi carmen. Epitheton ornat tantum, et est de vate, *sacerdote Musarum*, ut *sacer vates* ap. Hor. Od. IV. 9. 28.

‡ P. 28. Comment. in Plat. Timæum. Editione utor, Viri Summe Rever. et Doctiss. *Mursinnæ* humanitate mihi commodata, quæ *Procli quinque libros in Timæum, et difficiliorum quæstionum in Plat. Politicen enarrationem* complectitur, et opera Platonis non adjuncta habet: Basil. ap. Joan. Walder. 1534.

mihi videor cóllegisse, non minimam ævi partem a poeta Colophone transactam.

Lyden, cujus mentionem modo injeci, in choro feminarum olim celebrium fuisse, ex eo statim suspiceris, quod amor fuit poetæ. Atqui honor ejus eo crevit latius, cum amator memoriæ huic proprium dicâsset monumentum. Hinc accidit, ut Lyde *non omnis mortua sit, nonnullaque ejus pars vitârit Libitinam:* accidit, dico, hinc, ut in poetis etiamnum illius nomen et fama occurrat.* Ita scimus etiam, puellam ex Lydia fuisse oriundam,† eamque ibidem habitâsse, id quod narratione jam Hermesianactis non obscure proditur. Ceterum sunt, qui Lyden non amicam, sed uxorem Antimachi tradant, Plutarcho suo freti,‡ qui-

---

* Posidippus in Epigr. X. Analect. Brunck. T. II. p. 48.

> Ναννοῦς καὶ Λύδης ἐπίχει δύο, καὶ φέρ' ἐραστῶν,
> Μιμνέρμου καὶ τοῦ σώφρονος 'Αντιμάχου. κ. λ.

Ovid. Trist. 1. 6. princ.

> Nec tantum Clario Lyde dilecta poetæ,
> Nec tantum Coo Battis amata sua est:
> Pectoribus quantum tu nostris, Uxor, inhæres,
> Digna minus misero, non meliore viro.

Propert. II. 34. 45. (al. Eleg. 25.)

> Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero

Amante scilicet Penelopen. v. Hermesian. Eleg. v. 29. et ibi not. et Burman. Sec. ad loc. Prop. collato nostro Barthio V. C. in Clavi Prop. Ceterum v. Ptol. Flavii Conjectan IV. 98.

† Asclepiades Epigr. XXXVI. ap. Brunck. in Anal. T. I. p. 219., cujus notitiam debeo Cel. Ruhnkenio ad Hermes. Eleg. p. 291.

> Λύδη καὶ γένος εἰμὶ καὶ οὔνομα· τῶν δ' ἀπὸ Κόδρου
> Σεμνοτέρη πασῶν εἰμὶ δι' 'Αντίμαχον.
> Τίς γὰρ ἔμ' οὐκ ᾔεισε; τίς οὐκ ἀνελέξατο Λύδην
> Τὸ ξυνὸν Μουσῶν γράμμα καὶ 'Αντιμάχου.

‡ Consolat. ad Apollon. p. 106. B. loco, ab Turnebo inde Adversar. p. 195. a pluribus adducto, et quem iterum producam, ubi de poetæ scriptis dicendum erit.

bus equidem in hominis honorem libenter accederem, si nihil esset, quod obstaret horum sententiæ. Attamen, si matrimonio juncti fuissent, vix existimem adeo nobilem amorem eorum factum, neque Hermesianax in carmine sæpe allato de conjugali caritate loquitur, neque de hoc accipi Athenæi* locus potest, quod jam Burmannus major, Vir gravis, ad Ovidium animadvertit. Sic utique Plutarchi religio amicam in uxorem convertisse videri debet.

Jam superest, ut de aliis Antimachis breviter dicam, qui quidem pro scriptoribus Græcis afferuntur.† Hoc enim vel eo consilio mihi faciundum, ne ejusdem nominis auctores inter se miscuisse, unique forte, quod alteri debetur, adscripsisse videar. Quamquam in hujusmodi periculum, cui in fragmentis auctorum colligendis alias studiose caveri debet, hic non facile venire possumus, quoniam inter omnes hujus nominis Colophonius ille tantum celebritatis adeptus sit, quantum ceterorum nullus, adeo ut hi forsan nobis ne innotuerint quidem, nisi Suidas fuisset. Hic vero sectione nos beavit non valde accurata, qua plures Antimachos distinguit et enumerat. Perquam enim turbatus ille locus est, maximam partem e scholiis ad Aristophanem, unde tam multa in Suidam derivata sunt, compositus atque conflatus, idque fortasse non una manu. Sic parum inde ad nos redit præsidii.

Primus, quem præter nostrum Lexicographus attingit, Antimachus est Heliopolitanus, Ægyptius, cui et ipsi epicum poema tribuit, Κοσμοποιΐαν. At is ignobilis homo est, et forte ad tempora seriora relegandus.‡ Post hunc

---

* XIII. p. 596. F.

† Nam plures in antiquitate hoc nomen habuerunt, ut aliter nequit, jam inde a mythicis temporibus. At hos et reliquos, alia magis re quam ingenio illustres, hoc loco præterire decet. v. Bergstræsseri V. C. Realwoerterbuch. T. II. p. 653.

‡ Ad hunc Maussacus ad Harpocrat. p. 13. retulit fragmentum, a Strab. XIII. p. 588. (880.) et pluribus commemoratum, de quo infra Fr. XXIII. Nam opinionis hujus causam non

alter apponitur lyricus poeta, Psecas cognominatus a ψέειν, quod disserendo auditores sputo irrorare soleret, idem a nonnullis habitus auctor decreti, quod vetabat, ne quis in scena Attica nominatim a Comicis traduceretur.* Scilicet Chorus Acharnensium apud Aristophanem† hujus nominis poetam graviter exsecratur, ibique veteres Critici illud afferunt, ut quo odium Comicorum ei concitatum narrant. Sed ut unum moneam, Antimachus is, quem Aristophanes eo loco perstringit, non Psecas dicitur, sed Psecadis seu Psacadis filius; neque, si major nulla dictorum auctoritas adsit, quam scholii illius, a Suida fideliter descripti, satis scio, an iis fides haberi vere possit.‡ Præterea alios etiam habet Suidas, qui huc non magnopere pertinent, in his illum, qui in Nubibus ejusdem Comici traducitur, omnes ex eodem Scholiaste petitos.§

Unum autem Antimachum in Suida omnino desideramus, eumque, qui secundum nostrum maxime nomen hoc illustrâsse videtur, Teium. Qui licet a scriptoribus, qui ad nos pervenerunt, rarius laudetur, occurrit tamen mentio ejus obiter facta apud Plutarchum, ejusque mentionis ratio non

---

reperio, et plura sunt, quæ versus illos nostro vindicent, in his argumentum, conjunctum illud cum Thebaicis rebus, atque adeo poetæ Heliopolitæ obscuritas, quippe qui ab antiquis haud facile memoratur.

* Ψήφισμα illud tangit Petitus LL. Att. p. 152. ed. Wess. et intra Olymp. nonagesimam septimam factum censet. At dubito, an inter eos, qui veteris Comœdiæ formam immutârunt, alibi nomen Antimachi occurrat.

† Acharn. v. 1149. sqq.

Ἀντίμαχον, τὸν Ψακάδος,
Τὸν ξυγγραφῆ, τὸν μελέων τὸν ποιητὴν κ. λ.

‡ Immo *lyricus poeta* non omni dubitatione caret. v. Biset. Scholia ad Aristoph. loc. Eadem tamen propinat Suid. v. Ψεκάς. et Diogen. Proverb. VIII. 71.

§ V. Aristoph. Nubb. 1018. et ibi Schol.

prorsus obscurum hominem prodit.* Ætas illius in Olympiadum initium indicit, eodem teste, a quo simul ἐποποιὸς vocatur. Attamen memoria antiquioris hujus Antimachi ita est oblitterata, ut, ubi de claris epicæ poeseos auctoribus agitur, vestigium ejus frustra quæsiveris. Atque adeo, ubi nostri carmina proferuntur, sæpissime simpliciter designantur Antimachi poetæ nomine.† Tantopere hujus, quem proximo loco memoravi, sicut reliquorum lumini, magnitudo et celebritas nostri offecit. Unum interea versiculum Teii illius Clemens Alexandrinus attulit,‡ quod, cum jam Fabricius et post eum alii monuerint, mirum est etiam nunc esse, qui hunc cum nostro interdum confundant.

Sed tempus est ad Colophonium poetam reverti, cujus ingenii monumenta enumeremus singula, quæ ab antiquitate ei tribuuntur, et unde nos reliquias colligere constituimus. Inter cetera ejus facile primas tenuerunt *Thebais* atque *Lyde*. Illud jam inscriptio arguit, epicum poema, Thebani belli res et ducum in eo fata complexum; quod

---

* Vit. Romul. p. 24. A. Perperam Latinus interpres Plutarchi ἐποποιὸν *lyricum* vertit.

† V. Fragmm. II. III. IV. et alia plurima; quorum inspectio auctoritatem præstabit, quod in locis minus certis ea, quæ Antimachi solo nomine ab antiquis afferuntur, ad Colophonium referenda duxi.

‡ Stromat. VI. p. 622. C.

Ἐκ γὰρ δώρων πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι πέλονται.

Hanc sententiam scriptor dicit ab Antimacho Teio mutuâsse Augiam, poetam obscurum. Proinde non video, cur Nic. Loënsis Miscell. Epiph. II. 7. Antimacho Colophonio versum adscribat, et unde compertum habuerit, de Eriphyles monili in eo agi, quod illa mariti nece suaque pernicie emit. Immo opinatur idem, versum hinc, at implicatiore ambitu expressisse Statium Theb. IV. 193. sqq. Sed errâsse videtur vir doctus, dum obiter Clementem inspexerat, aut Plutarchi sui erat immemor. Neque sententia talis est, qualis non plurium poetarum ingenio deberi possit, de alia re quacunque, quam de monili illo dicentium.

argumentum cum aliis in eodem genere poetis, tum tragicis præcipue celebratum reperimus. Θηβαΐδος titulo carmen constanter ab omnibus fertur, non Θηβαϊκῶν, quæ alibi ejusmodi operum inscriptio esse solet.* Primaria vero hic occurrit quæstio hæc, utrum primum tantum bellum, Adrasto duce cum Thebanis gestum, eo opere pertexuerit, an alterum quoque, quod Epigonorum appellare solent.† De qua quidem re neminem inveni, qui quæsiverit, aut, quid probabilius poni debeat, veterum locis demonstrârit. Innuunt plurimi quidem, prius et antiquius bellum ab Antimacho hoc poemate conditum, alii certo pronunciant, sed, ut non raro in his rebus fit, opinione quadam rationibus suis destituta. Jam quæ alibi in tali re dubitanti succurrunt, hic pleraque deesse videas. Nam neque antiquorum aliquis, eorum certe, qui a me consulti sunt, dubitationem eam tollere, neque ex ipsis fragmentis, quæ ad Thebaidem pertinent, aliquid, quod veri speciem habeat, elici potest. Cum enim inter hæc occurrant plura, ad primum bellum aperte spectantia, ad quod dubitatio non pertinet; nullum contra adest, quod de altero quærentibus satisfaciat. At duo loci sunt, qui scrupulum evellere alicui videantur: alter ille, qui Achillem in terra Trojana navi egressum, alter, qui Diomedem loquentem inducit.‡ Sed ex hoc loco nihil tuto trahi, infra ostendam. Neque alter talis est, quin de eo ultro citroque disputari liceat. Mira utique, in carmine, quod primum Thebanorum bellum, h. e. res pæne

* Ut Ἀργοναυτικῶν, Ναυπακτικῶν simil.

† Utriusque belli parvo intervallo temporis gesti historias nemo hic expositas exspectet. v. Apollodor. III. 6. sq. Diodor. Sic. IV. 65. vel Hygin. F. 70. sq.

‡ V. Fragm. XXII. LII. Posteriorem versum de Diomede si quis ad carmen de Epigonis, quorum unus Tydei filius fuit, relegare voluerit, hac causa motus, quod in elegiaco poemate heroes loquentes vix facere potuerit poeta, ea causa debilior est. Quid enim, si fecerit? v. Fr. XXXV. et quæ de tenore Lydes deinde observabo.

ante Achillem natum gestas complectitur, mira ergo et inaudita in tali carmine occurrat hujus viri mentio, nec mentio solum, sed rei ab eo factæ historica commemoratio. Ubi huic exemplo simile aliud apud Homerum inveneris? —At sedes versuum, de quibus loquimur, non omnino certa est, neque adeo satis exploratum, an cuncta poetæ scripta nos nomine tenus hodie nôrimus. Quod si vero, ut videtur, fragmentum e Thebaide depromtum sit, vel sic inde nihil efficitur. Poetam enim hic habemus, ob insignem loquacitatem et prolixitatem, a veteribus jam notatum, cujus ambages et digressiones quis nunc facile indaget, aut, quomodo rem maxime alienam visam, consilio suo accommodârit, conjectura assequi valeat? Hac itaque via res omnino dubia relinquitur, nec video, quomodo confici a nobis bene possit. Ita sententiam eorum amplector, qui poematis argumentum in primo bello Thebano substitisse putant, quamquam trepidarem, si certæ rationes mihi afferendæ essent.

Videbar mihi primum alia via verum inventurus, cum a viris doctis præter Thebaida novum epos, Ἐπίγονοι inscriptum, ad Antimachum referri viderem.* Sed hæc ipsa spes, hujus quoque indicii fontes investiganti, mox evanuit. Niti enim illud auctoritate videbatur non alia, quam quæ infra a me profertur,† et non una causa ita imminuitur, ut leviorem eam statim legentium quisque agnoscat. Adiicere hic juvat, jam ab Herodoto de Hyperboreis narrante, Epigonos excitari, ut carmen antiquissimum, inter Homerica olim, sed fide parum explorata, numeratum.‡ At quisquis ejus auctor fuerit, tam vetustum carmen nullo jure, nec nisi ab indocto homine, nostro adscribi poterat.

* V. Fabric. Bibl. Græc. T. I. p. 571.

† V. ad Fr. XLVII.

‡ Herodot. IV. 32. loco a Bentleio Ep. ad Mill. p. 504. allato: —Ἔστι δὲ καὶ Ὁμήρῳ ἐν Ἐπιγόνοισι, εἰ δὴ τῷ ἐόντί γε Ὅμηρος ταῦτα τὰ ἔπεα ἐποίησε.

Nisi forte duo diversa poemata hac inscriptione exstitisse dixeris; sed id utique esset, commentum novo commento defendere velle. Per me tamen teneas licet Antimachi Epigonos, et nisi ultra horum adeo tempora poetam processisse ostenderis, eadem manebit in Fragmento XXII offensio.

Non magis certa de ambitu Thebaidis afferre possum. Fragmenta, quæ cum libri nota laudantur, quintum librum non excedunt. Sed multo fuisse plures, quis dubitet? Immo carmen longum et diffusum plura suadent ut credamus, suspicione ex ipsis etiam reliquiis firmanda, ubi libro quinto adhuc res in Adrasti domo geri probabile fit.* Quid autem in incertis moramur, cum disertum adsit testimonium Scholiastæ Horatiani, plane dicentis, Antimachum materiam suam sic extendisse, ut viginti quatuor volumina impleverit, antequam septem duces ad Thebas perduceret.† Quam immane opus sic exire debuerit, per se patet, quod non immerito aliquis Nonnianorum librorum numerum excedere universum statuat.

Nolim tamen rem sane miram, ab uno et quidem tali auctore testatam, pro explorata haberi. Atque idem ille, quantum video, unus auctor est, cui vulgaris opinio debetur, quæ Antimachum cyclicis annumerat, ejusque Thebaidem cycli epici partem facit.‡ Cujus collectionis ratio quam-

---

* V. Fr. IX. et sqq. ex Athenæo.

† Ipsa verba sunt Porphyrionis, quem vocant, ad Horat. A. P. v. 146. cum his cf. Acron. l. c. quo nonnulli interpretes Horatii decepti, Antimachum novo insuper carmine *de Diomedis reditu a Troja* donârunt. Sed id Acronis scholion, non dubito, quin ab indocta et recentiore manu margini appositum sit. Ceterum si exemplum quæris, quomodo fabulæ crescant eundo, vide Dalecamp. ad Athen. Not. p. 774. Unde cognoverit ille, Thebaidem Antimachi morte interruptam fuisse, hoc scire velim.

‡ V. eadem Schol. ad v. 136. ubi Acronis fertur misella observatio: *Cyclicus poeta est, qui ordinem variare nescit; vel qui carmina sua circumfert, quasi circumforaneus: aut nomen proprium est Cyclicus, et significat Antimachum poetam.* Inde

quam multis magnisque difficultatibus impedita sit, et cyclicorum poetarum nomina et opera partim incertissima habeantur; fuere plures tamen iique doctissimi viri, qui ex illorum numero nostrum audacter excluderent.* Horum rationes, quoniam ipse parum novi afferre possum, tutissimum erit sequi. Inter has prima hæc est, quod ab antiquis passim *Thebais* sine nomine auctoris memoratur, quam *cyclicam*, h. e. epico cyclo comprehensam, appellant, cum Antimacheam, ubicunque laudant, posito poetæ non obscuro nomine designent. Ita, quod sagaciter jam Salmasius observavit, Athenæus eodem in libro, ubi quater Antimacheæ Thebaidis mentionem facit, semel affert cyclicam Thebaidem, nullo auctoris nomine;† quod scriptorem doctum fecisse non credibile est, si carmen posterius Antimachi labor fuisset.‡ Sed diversitatem carminum horum vel ratio

---

etiam nuper multi *cyclicum poetam* Horatii, Antimachum intellexerunt. Cf. Elegantissimi Wielandi version. Hor. Epp. teuton. p. 212. t. II.

* De cyclo epico universe egerunt, singulari libello *Schwarz*, qui inter ejus Dissertatt. select. ab Ill. Harlesio editas exstat p. 33. sqq., atque *Heynius*, Vir Summus, ad Virgil. T. II. p. 220., qui priores hac de re auctores quoque laudant. Horum princeps, Salmasius ad Solin. p. 595. G. et p. 598. B. jam, Antimachum male cyclicis accenseri, docuit; eumque sequutus est Valcken. ad Eurip. Phœn. p. 25.

† XI. p. 465. F.

‡ Cyclicæ Thebaidis fragmenta pauciora, quæ mihi non ex instituto quærenti se obtulerunt, hic designabo. Quatuor versus sunt de Œdipi diris in filios ap. Schol. ad Sophocl. O. C. 1371. p. 315. Steph. Exscriptos hos habes in Ill. Schützii Animadv. ad Æschyl. S. ad Th. p. 364. cf. Summi Heynii Not. ad Apollod. p. 604. Alia hujus Thebaidis mentio occurrit in Apollod. I, 8. 4., ubi hunc poetam cum Hesiodo conjungit. Bis eandem adducit Pausanias, quos tamen locos (v. ad Fr. XVIII. et XXXIII.) ad Antimachum potius retulerunt, illum N. Loëns. Misc. Epiph. II, 6., hunc Valcken. ad Eurip. Phœn. 1164. Sed priore in loco Paus. Arcad. p. 650., etsi ibi non perspicue

ea monstrat, qua utrumque a Pausania conjungitur; nec minus illud huc pertinet, quod Apollodorus, Thebaidis scriptorem non adjecto nomine laudando, Hesiodo antiquissimo vati, eum præposuit, quod ipsum minus recte fecisset, si in hoc Antimachi nostri opus spectâsset. Ceterum obscura solummodo fama de cyclica Thebaide ad nostra tempora pervenit. Celebrior autem primum fuit; et alium Pausaniæ locum habemus, quem si bene intelligimus, ea quoque Homero a multis assignabatur, cujus ingenio aliud poema post Iliadem et Odysseam nullum dignius ille existimabat.*

---

scripsit, ipsa series et tenor orationis versum istum: *Εἵματα λυγρὰ φέρων, σὺν Ἀρίονι κυανοχαίτῃ* Cyclico vindicat: cujus explicationis auctores habeo, Barth. ad Stat. Th. IV, 43. et Valckenærium ad Phœn. p. 659. De altero Pausaniæ loco, forte a Valcken. non accurate inspecto, dicam ad Fr. XXXIII. Præterea cyclicam Thebaida laudat Schol. Apollon. Rh. I, 308. nisi ibi utrumque poetam aut plures intelligas; Schol. ad Hom. Il. ψ. 346. cujus verba ad Fr. XIX. apponam; Athenæus denique XI. p. 465. F. At hoc insigne fragmentum propter Valckenærium infra dabo Fr. XXXII.

* Pausan. Bœot. p. 729. *Ἐποιήθη ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαίοις. Τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλαῖνος ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην, ἔφησεν Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλαίνῳ δὲ πολλοί τε καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταυτὰ ἔγνωσαν.* Locum huncce indicavit mihi Salmas. ad Solin. p. 598. D., qui de Thebaide cyclica intelligit. Possit tamen forte rectius de carmine, alterum bellum solum complectente, eodem, quod Herodotus laudat, accipi, cum usque ad hæc verba Pausanias de Epigonis loquutus sit. At vero *πόλεμον τοῦτον*, ni fallor, de utroque bello dixit. cf. capitis princ. et fin. Hinc Hemsterhusius præclare pro *Θηβαίοις* reposuit *Θηβαΐς*. Mox *Καλαῖνος* in *Καλλῖνος* mutârunt plures, improbante Ruhnkenio V. Cel. ad Callimach. Fragmm. p. 439., qui ipse Callimachi nomen restituit. Critici esse dicit, incerta opera auctoribus suis assignare, non Elegographi. Tamen hoc non omne dubium eximat, cum poeta de alia re quacunque loquens, obiter carminis, tamquam Homerici, mentionem injicere possit, ut verbi causa facere debuit Stesichorus, si vera sunt, ad

Satis ex his, quæ disputata sunt, apparet, quod voluimus, nostri Thebaidem diversam fuisse a cyclica, utpote quæ antiquioris fuit poetæ, sed cujus nomen vetustas mature oblitteravit. Simul iisdem locis veterum, quos adduxi, præsertim Apollodori et Pausaniæ, non obscure, puto, docemur, quod secundum antiquiorem illam demum Antimachea celebrata fuerit. Nam si utrumque poema antiquitus in pari honore apud lectores fuisset, cyclicum omnino isti alio modo et designatius excitâssent.* Verum insequenti tempore recentiori Thebaidi antiquior hactenus videtur concessisse, ut, hujus amatoribus languescentibus, illa magis legeretur; quod Alexandrinorum judicio, de quo postea dicam, non immerito aliquis tribuerit. Nec minus alii, tam poetæ quam soluti sermonis scriptores, mox exstiterunt, qui idem argumentum tractarent, quos ex illis duobus fontibus potissimum sua hausisse probabile est. Ita legimus Menelaum quendam, Thebaida, heroicum carmen, duodecim libris perscripsisse; sed de hoc aliunde quam e Suida non constat.† Laudatur etiam Antagoras Rhodius, celeber poeta, Arati Solensis æqualis, et Antigoni Gonatæ amicitia clarus, cui ejusdem tituli poema auctor vitæ Arati tribuit.‡ Præterea alii sunt, qui minus huc faciunt, partim etiam ignobiliores,

---

calcem Scuti Hesiod. in Ald. Ed. adscripta. Καὶ Στησίχορός φησιν Ἡσιόδου εἶναι τὸ ποίημα. Notandum præterea, quod aliunde non scimus, cyclicam Thebaidem et priora et posteriora Thebaica comprehendisse. Id sane e Pausan. l. c. colligitur.

* Apollodorus nempe l. c. simpliciter habet: ὁ μὲν γράψας τὴν Θηβαΐδα. Et sic fere quoque Pausanias VIII. p. 650. ἐν δὲ τῇ Θηβαΐδι.

† Incertæ ætatis scriptor est. v. Suid. v. Μενέλαος. cf. Vossius de Poet Gr. in Append. p. m. 227. a.

‡ Cum Antagoræ Thebais aliis non memorata sit, veretur Hemsterhusius ad Callimach. T. I. p. 591., ne hic Arati vitæ scriptor deceptus Antimachi Thebaida ad Antagoram memoriæ vitio transtulerit. At eodem plane modo legitur in Cel. Iriarte Bibl. Matrit. Codd. Gr. mscr. p. 239., ubi istam vitam Arati e codice descripsit. Quamquam hoc maximi viri suspicionem non

ut Lysimachus, qui historias Thebanas pedestri sermone collegit,* Aristodemus Thebanus, Timagoras, Lycus,† alii. Neque argumentum inter Romanos jacuit neglectum. Quippe jam Augusteo ævo Ponticus epico versu bellum Thebanum persequutus est, cujus opus tota Thebaide Statii redimere non dubitabat Brouckhusius, quandoquidem ex illa aurea ætate poeseos jure sanioris coloris carmen exspectabat.‡ Nunc hoc Catone contentos nos esse Fortuna jubet. Videmus autem ex his, Statio adfuisse plures auctores, quorum vestigia premere, quosque et in rebus antiqua fama traditis, in iisque tractandis atque exornandis sequi potuerit. Atque id ab eo factum esse, cum per se credibile fit, tum plures ejus narrationes produnt, quas,

---

tollit. Tamen Antagoræ, tamquam scriptoris Thebaidos, mentio occurrit in Not. ad Diogen. Proverbb. p. 202. ubi narrant ex Apostolio, Antagoram, cum librum Thebaidis Bœotis recitâsset, frigideque esset auditus; *Boum*, dixisse, *aures habetis:* Δικαίως καλεῖσθε Βοιωτοί· βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε. Narratio me advertit propter similitudinem illius, quam Cicero de nostro habet. Sed nihil certi inde extrico; neque Apostolius ad manum est.

* Alexandrinum hunc vocat Schol. Soph. O. C. 92. p. 274. Steph. ubi ex libro XIII Θηβαϊκῶν luculentum fragmentum, super Œdipodis sepultura adscriptum legitur. Eundem puto esse scriptorem, cujus Νόστοι laudantur passim, unde conjicias, et hoc opus prosaicum fuisse, e veterum libris, more fere Apollodori in Bibliotheca, congestum. De Thebaicis Lysimachi v. Valcken. ad Phœn. p. 603.

† De his v. Valcken. ad Phœn. p. 686. 732. Ill. Heyn. ad Apollod. p. 550. et de Lyco Schol. Hesiodi, excerpt. a Wolfio, Præceptore nunquam satis laudando in Not. ad Theog. p. 97. Præter hos affertur a Suida ὁ περὶ τῶν Θηβῶν συντάξας T. II. p. 217., quem Küsterus, nescio an recte, pro Lysimacho habet.

‡ Poetam hunc memoriæ commendârunt amici, Ovidius et Propertius, unde etiam de argumento carminis ejus constat. v. inprimis Broukhus. et Burmannus Sec. ad Prop. I, 7. princ. At vix credam, quod Burmannus e v. 17. hujus Elegiæ exsculpit, *Septem contra Thebas* genuinum poemati titulum fuisse.

alibi hodie non obvias, proprio ingenio illius deberi nemo dixerit. Namque hoc sibi minus permiserunt seriores poetæ, Virgilii exemplum sequuti, qui in Trojanis rebus ingenii divini vim veteri fama expolienda consilioque carminis prudenter attemperanda potius, quam novis mythis excogitandis demonstraverat. Atque hujus institutum nulla in re facilius quam hac potuit æmulari, et certe debuit is, qui divinæ Æneidos vestigia tam sancte adorabat. Sed quem Græcorum inprimis imitando expresserit, difficile erit, istis carminibus nunc temporis injuria interceptis, ad liquidum perducere. Quod Antimachum vulgo Statii ducem et exemplar haberi volunt, ut ab initio monui, hæc quidem opinio est per se non improbabilis, propterea quod illius Thebais celebratissima Statii tempore fuisse videtur. At vero probandæ opinioni fragmenta a me collecta non sufficiunt; quorum cum tam exiguus numerus sit, consultius puto rem in medio relinquere.*

Venimus nunc ad alterum carmen, versibus elegiacis compositum, quod Λύδη inscriptum erat. Scripsit hoc poeta, ut dictum est, ex Lydia gravi cum vulnere reversus, deditque nomen a muliere, cujus amori ab oblivione vindicando labor susceptus erat. Atque eodem tituli genere

---

* Argutari et hariolari hic multa licet, pauca idoneis causis comprobare. Nec ego in his copiosior sim, quod Viros doctissimos plures illustrando Statio nunc cum maxime vacare audio, a quibus limatiora exspectabunt eruditi. Interea unum hoc conjectum adjiciam, quod latinus poeta in principio carminis, quo nimis longe retro abit, et *gentis* adeo *primordia diræ*,

> *Sidonios raptus, et inexorabile pactum*
> *Legis Agenoreæ, scrutantemque æquora Cadmum,*
> *Longam retro seriem,*

accessit, quod igitur in hoc Antimacheæ imitationi nimium tribuisse videtur. Colligo hoc e nostri Fr. III. quod de raptu Europæ agit. Horum similia hic deponi possent, si nos conjecturæ hujusmodi multum juvarent.

jam antea Mimnermum, qui tibicinam Nanno amaverat, posthac Hermesianactem aliosque usos reperimus,* etiam in Latinis Propertium, cujus primus liber Elegiarum Cynthia inscriptus est. Plures, qui hoc poema memorant, Elegiæ nomine insigniunt. Qua appellatione ne quis offendatur, aut Elegiam per plures libros deductam, unicam in suo genere habeat, in memoriam revocabimus veterem significationem, qua vocabulum Elegiæ Græci et Latini frequentabant, magis eam a metri forma, quam interna carminis vi et natura petitam. Etenim hinc factum est, ut poetæ multi longiora et prolixiora opera elegis perscriberent, qualia etiam nunc Ovidii restant, quæ ex antiqua verbi vi Elegiarum nomine appellare possis.† De argumento præcipuo Lydes testem habemus, qui librum procul dubio adhuc manibus versavit, Plutarchum. Hic Antimachum tradit in eo recensuisse fata, quæ claris hominibus heroicæ ætatis adversa contigerant, eoque rerum genere usum, quo malorum alienorum commemoratione suam ipse ægritudinem leniret.‡ Ex quo testimonio facile apparet, id quod absque

---

* Athen. XIII. p. 596. F. Μικροῦ ἐξελαθόμην ὑμῖν εἰπεῖν τήν τε Ἀντιμάχου Λύδην, πρόσετι δὲ καὶ τὴν ὁμώνυμον ταύτης ἑτέραν Λύδην, ἣν ἠγάπα Λαμύνθιος ὁ Μιλήσιος. Ἑκατέρος γὰρ τούτων τῶν ποιητῶν, ὥς φησι Κλέαρχος ἐν τοῖς Ἐρωτικοῖς, τῆς βαρβάρου Λύδης εἰς ἐπιθυμίαν καταστὰς, ἐποίησεν ὁ μὲν ἐν ἐλεγείοις, ὁ δ' ἐν μέλει τὸ καλούμενον ποίημα, Λύδην. Παρέλιπον δὲ καὶ τὴν Μιμνέρμου αὐλητρίδα Ναννὼ, καὶ τὴν Ἑρμεσιάνακτος τοῦ Κολοφωνίου Λεόντιον. Epitheton βαρβάρου, Lydæ hic datum, iis addi debet, quæ supra de puellæ patria dixi.

† Fasti, Ars amandi, Remedia amoris.

‡ Consol. ad Apoll. p. 106, B. Ἐχρήσατο τῇ τοιαύτῃ ἀγωγῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ ποιητής· ἀποθανούσης γὰρ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λύδης, πρὸς ἣν φιλοστόργως εἶχε, παραμύθιον τῆς λύπης αὐτῷ ἐποίησε τὴν Ἐλεγείαν τὴν καλουμένην Λύδην, ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωϊκὰς συμφορὰς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην. Ὥστε καταφανὲς εἶναι, ὅτι ὁ παραμυθούμενος τὸν λυπούμενον, καὶ δεικνύων κοινὸν καὶ πολλῶν τὸ συμβεβηκὸς, ἐκ τῶν καὶ ἑτέροις συμβεβηκότων ἐλάττονα τὴν δόξαν τοῦ λελυπημένου μεθίστησι.

eo forte felicissimo conjectori molestiam creâsset, quo modo in carmine, puellæ suæ memoriæ consecrato, tam multa de Argonautarum expeditione memorare potuerit, quam fragmenta hic ostendunt. Inde porro poema non exiguæ molis fuisse videatur. Tam prolixo enim scriptori, et in tali consilio, suffecisse duo libros, quos citatos reperi, vix existimem. Immo, si e Fr. XXXV vera colligo, operi epicus tenor erat et spiritus. Atque hunc debuit argumentum ipsum, quod ornandum sibi sumserat, excitare. Utinam huic saltem carmini tempus pepercisset; quod, non dubium est, quin Latinorum Elegographi, Propertius præcipue, qui a Græcis unice pendet, studiosius legerint, et passim in suis expresserint. Sed mature, nescio quo modo, illud in epitomen redegit Agatharchides Cnidius,* quo facto forsan accidit, ut et poetæ opus, et Grammatici epitomen eadem sors abstulerit.

Hæc quidem de duobus poetæ laudatissimis carminibus disputata sufficiant. Jam de reliquis breviter erit agendum, quæ partim obscuriore, partim etiam dubia fama innotuerunt. Ex his sufficiat verbo attigisse *Lysandri Encomium*, cujus memoriam Plutarchus servavit.† Is enim narrat, ad imperatorem illum, rerum gestarum gloria mire elatum, undique accessisse variis modis adulantes, inque his poetam Colophonium et Niceratum quendam Heracleotem concertâsse carminibus, in laudem ejus compositis. Nicerato

---

* Phot. Biblioth. Cod. CCXIII. p. 547. edit. 1653. Agatharchides (al. Agatharchus) notus ille auctor est, Ptolemæi Philometoris ævo clarus, cujus nonnulla hodie feruntur, per Photium servata.

† Vit. Lysand. p. 443. C. Ἀντιμάχου τοῦ Κολοφωνίου καὶ Νικηράτου τινὸς Ἡρακλεώτου ποιήμασι Λυσανδρία διαγωνισαμένων ἐπ' αὐτῷ, τὸν Νικήρατον ἐστεφάνωσεν· ὁ δὲ Ἀντίμαχος ἀχθεσθεὶς ἠφάνισε τὸ ποίημα. Πλάτων δὲ νέος ὢν τότε, καὶ θαυμάζων τὸν Ἀντίμαχον ἐπὶ τῇ ποιητικῇ, βαρέως φέροντα τὴν ἧτταν, ἀνελάμβανε καὶ παρεμυθεῖτο, τοῖς ἀγνοοῦσι κακὸν εἶναι φάμενος τὴν ἄγνοιαν, ὥσπερ τὴν τυφλότητα τοῖς μὴ βλέπουσιν.

autem a Lysandro corona donato, inferior discessit noster; quod cum ægre ferret, et versus indignabundus aboleret, solatium tunc præbuit amicus Plato, quale etiam nunc forsan subinde malis poetis suppetit. Ita non mirum, quod carmen a nemine posthac citatur. Verum excitatur Antimachus adhuc in Ἀρτέμιδι, in Δέλτοις et Ἰαχίνῃ. Parum tamen de his explorati habemus. Atque primum nomen, cum Salmasio et Berkelio non dubito, quin in Stephano Byz. corruptum sit,* et pro Ἀρτέμιδος legendum Θηβαΐδος, cujus poematis et alibi Ethnicorum scriptor meminit. Nam cum paulo ante adesset Ἀρτέμιδι, facillime librarii oculus potuit in eandem vocem iterum delabi, aut deleti in fronte verbi vestigium lectorem alium seu correctorem in fraudem inducere. Utrumlibet eligas, videtur hæc Artemis ex indice librorum expungenda. Alterum, quod dixi, carmen, Δέλτους (nostri forte dicerent *ein poetisches Taschenbuch*) Athenæus quidem Antimacho diserte tribuit, hexametro versu inde adducto, ita tamen, ut fide non prorsum certa ad Colophonium referre possis.† De Ἰαχίνη denique major mea dubitatio est. Alios enim hoc omnino prætermittere video. Ejus nempe non nisi in uno loco Etymologici M. mentio occurrit, isque locus mendo non immunis videri potest.‡ Quippe ne Græcum quidem illud nomen sonat, neque vero mihi apta ejus succurrit emendatio. Rejeci ipse primus, quod antea conjeceram aut luseram potius, Ἰναχίη, de Io, Inachi filia, nec minus aliud Ἰχναίη, quod Themidis cognomen est.§ Sed his conjecturis nil proficitur, cum talem carmini inscriptionem fuisse minime probabile sit.

---

* V. Fr. XLVIII.

† Locum Athenæi vide in Fr. XLIX. At, si supra vera monui, nudum nomen Antimachi, ab Athenæo positum, nostro carmen jure majori vindicat, quam alii ulli; nec reperio, qua ratione Meursius in Bibl. Gr. id Teio tam promte imputârit.

‡ Dedi eum Fr. L.

§ V. de eo nomine Strab. IX. p. 435. (665.) et Interpp. Hesych. v. Ἰχνέμη.

Quid, quod ne certo constat, sitne mirum vocabulum in Etymologico titulus carminis, an ad ipsum versum pertineat. Incertissima autem notitia est de *Centauromachia,* quam nostro assignat Natalis Comes, homo in citandis veterum scriptis fidei sublestissimæ.* Hoc priusquam Summi Heynii doctrina edoctus essem,† multum temporis in quærendo illo opere consumseram, sed nihil inveni; ut nunc etiam, unde illud tractum sit, non habeam dicere. Præterea in Anthologia Planudea Epigramma exstat, quod ad Vaticani codicis fidem Brunckius nuper Antimachi nomine inscripsit.‡ At res hac una auctoritate nititur. Epigrammata quidem, h. e. parva varii generis poematia, plerosque Græcorum poetas frequenter edidisse scimus; Antimachi vero nullum reperimus alibi laudatum, nec nomen memoratur in eorum, qui talium carminum Coronas nectere primi instituerunt, Meleagri et Philippi Thessalonicensis, proœmiis, inter eos, quorum labores receperant.§ Carmen, ne quid meæ collectioni deesse videretur, addidi postremo loco, ut lector, tot frustulis congestis parum satiatus, demum integrum aliquod haberet, quo animum recrearet.

Nil hactenus dixi de grammatico studio nostri, quem tamen a Suida diserte Grammaticum vocari vidimus. Sed primo non parum dubia hæc videbatur auctoritas, cogitanti,

---

* Mytholog. VII, 4. p. m. 722. *Antimachus in Centauromachia Centauros ab Hercule pulsos e Thessalia in insulas Sirenum confugisse scripsit, ubi cantibus illarum delectati omnes in apertam perniciem fuerunt attracti: deinde ubi Nessus, et alii Centauri sepulti fuissent, ex iis vulneribus non procul a Calydone, in colle, qui Taphossus fuit nuncupatus, gravissimus odor ad montis radicem suffundebatur, ac tabo simile quiddam manabat, ut ait Strabo IX.* (p. 427. al. 653.)

† V. præstantiss. Commentar. in Apollod. p. 659. 1175.

‡ V. Anthol. Gr. lib. IV. c. 12. Ep. 104. Brunck. Analectt. Gr. T. I. p. 167. et Lectiones Tomo III. subjunctas p. 29.

§ V. carmina ap. Reiskium in Notit. poet. anthol. p. 234. et 267.

grammaticæ et criticæ artis originem ad Aristotelem demum a Dione Prusæo,* aliisque referri, ut ea ars belli Peloponnesiaci tempore vixdum homini nomen addere potuerit. Accessit, quod et nunc me pungit, dubiumque reddit, eundem philosophum vulgo primum Homeri emendatorem numerari, immo esse, qui Zenodotum Ephesium prodant.† Ita Suidæ errorem hic suspicabar, a quo aliis etiam in locis non alienus est, ut auctores diversos inter se misceat, huic quidem opera detrahendo, illi attribuendo. Auxit hanc suspicionem ille ipse locus Tatiani, antea jam ex parte allatus,‡ quo forsan alius Suidæ testimonium confirmari dixerit. Nam inter eos, qui de Homero commentati sint, cum primum scriptor memorâsset Theagenem Rheginum, Antimachum, Herodotum; ad alios mox pergit, Zenodotum, Aristarchum, Callimachum, quos Grammaticorum nomine a prioribus clare distinguit. Quo modo Tatianus profecto non loquutus esset, si nostrum pro Grammatico habuisset. Contra Suidæ suppetias fert Eustathius, Antimachi nostri lectionibus in Homero adhibitis.§ Cunctationem tamen etiam hoc injiceret, nisi nuper docuisset Cel. Villoisonus, in Bibliotheca Veneta codicem Homeri latere, cum aliis multis Grammaticorum veterum notis, Antimachi quoque, celeberrimi poetæ Colophonii, ad Homerum lectiones, easque ex duabus diversis ejus editionibus exhibentem, cujus operis insignes copias deinceps editurum se ille promisit.‖ Ita incertiores nunc sumus quam antea, et a Viri,

---

* Dion. Orat. LIII. T. II. p. 274. Ed. Reisk. Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν.

† V. Küsteri Hist. crit. Hom. II. 5. §. 3.

‡ V. pag. 10. Not. x.

§ V. Eustath. Comment. ad Il. p. 1243, l. 40, et 1334, l. 8, ed. Romanæ, quam editionem plerumque adhibere potui, exceptis aliquot locis, ubi Basileensi contentus esse debebam.

‖ In Anecdot. Gr. 1781, Venetiis editis, T. II. p. 183. Mox quoque p. 185. prodit, in eodem codice inesse Antimachi fragmenta alia. His forte aliquando hic fasciculus egregie augeri poterit.

harum litterarum inter Gallos statoris, labore, quem avide eruditi exspectant, unice lux exspectanda.

Atque his, quæ de vita operibusque Antimachi a nobis dicta sunt, officio nostro satisfecisse videri possimus. Etenim ut de ingenio simul, virtutibusque ejus vel vitiis loquamur, vix exspectabit aliquis, cum frustula et ramenta operum conquirere licuerit, non integrum carmen exhibere. Quod si adhuc nobis superesset, larga procul dubio de his materies esset dicendi. Nunc contra male otium collocares, si talibus reliquiis ad judicium de auctore ferendum velles abuti. Attamen vel sic non inutile erit, veterum censuras et sententias de Antimachi carminibus persequi, interpositis hinc inde nonnullis, quæ illorum historiam et fata illustrare possint.

Ista autem judicia de poetæ ingenio et arte, ut in hoc genere assolet, variis ætatibus varia fuisse reperimus. Nimirum jam in superioribus monitum est, citra Alexandrinorum seculum utique Antimachi carmen de bello Thebano, cyclico illi vetustiori videri posthabitum. Hoc, quod probabili conjectura ibi posuimus, ipse Cicero videtur confirmare iis, quæ de carmine quodam nostri ab auditoribus tam frigide accepto habet, loco statim ad principium adscripto. Nam de nullo alio poemate *magnum illud volumen* Ciceronis aptius, quam de Thebaide, intelligi poterit, nec aliter optimi interpretes acceperunt. Verum enimvero, quod legentem tunc reliquisse feruntur, Platone excepto, omnes, ex hoc nemo æquior sibi sumat jus, ut poetæ meritum artemque deprimat. Bene enim dudum Cicero animadvertit, poema reconditum non assensum vulgi movere posse, et satis esse, si paucioribus approbetur. Immo assiduitas Platonis, quem unum instar omnium millium Antimachus sibi esse dixerat, nos quoque in secundiorem opinionem de poeta adducere potest. Ille vero non hic solum, sed alibi, atque insigniore aliquo modo, magnam admirationem Antimachi testatus est. Nam Heraclidi Pontico, amico suo, Colophonem persuasit adire, ut pleraque carmina poetæ nostri conquireret, quem Chœrilo, qui in magno

tum erat honore, anteferendum censebat.* Cujus judicii causæ, cum alibi acrem poetarum censorem Plato se gesserit, nescio an hodie vere indagari possint; ut nec satis constat, quantum illius rationi amicitiæ, quæ philosopho cum nostro intercessit, tribuendum sit. Talis tamen is favor est, qualem iniquis aliorum judiciis facile opponas. Ex his nullum magis videatur notabile, quam Callimachi illud, quo Lyden nostri pingue carmen et perspicuitate elegantiaque destitutum dixerat.† Quippe id judicium eo magis mirandum est ab eo poeta ferri, qui, quæ in Antimacho ab antiquis notantur vitia, in propriis laboribus partim non omnino cavisse reperitur. At forte majus quiddam, quam vocum rariorum usum, prolixam orationem, inepteque longius arcessitam doctrinam, poeta criticus in Lyde sibi animadvertisse videbatur.

Sed eodem temporis tractu longe æquiores arbitros Antimachi poesis, Thebais certe, experta est. Nempe fuerunt tum Grammatici, Aristophanes Byzantius, et Aristarchus, Alexandrini, qui poetarum aliorumque auctorum, qui ante suam ætatem floruerant, criticum instituerent delectum, et

---

* Narrat hoc ex ipso Heraclide Proclus Comment. in Plat. Tim. I. p. 28. *med.* *Εἴπερ τις ἄλλος καὶ ποιητῶν ἄριστος κριτὴς ὁ Πλάτων, ὡς καὶ Λογγῖνος συνίστησιν. Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Ποντικός φησιν, ὅτι τῶν Χοιρίλλου τότε εὐδοκιμούντων, Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προὐτίμησεν, καὶ αὐτὸν ἔπεισε τὸν Ἡρακλείδην εἰς Κολοφῶνα ἐλθόντα, τὰ ποιήματα συλλέξαι τοῦ ἀνδρός. Μάτην οὖν φληναφοῦσι Καλλίμαχος καὶ Δοῦρις, ὡς Πλάτωνος οὐκ ὄντος ἱκανοῦ κρίνειν ποιητάς.* Pro *Χοιρίλλου* scrib. *Χοιρίλου*. Vitiosum sæpe occurrit.

† Discimus e fragmento, parvo quidem sed quantivis pretii, quod e Msto nuper in lucem edidit Excellentiss. Ruhnkenius Auctar. Fragm. Callim. T. I. p. 574. *Ὅτι διαβέβληται τὸ παχὺ, σαφῶς ὁ Καλλίμαχος ἐν τοῖς Ἐπιγράμμασι δηλοῖ. Διασύρων γὰρ Ἀντιμάχου τὸ ποίημα τὴν Λύδην, ἔφη·*

Λύδη, καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν—

Locum hunc, adeo conjiciat aliquis, a Proclo respici in verbis ante prolatis.

velut canonem conficerent. Atque hi, cum ex heroicis poetis quinque tantum in numerum redigerent, Antimachum in iis esse voluerunt.* Quæ res non parum operis claritati conferre debuit. Illorum enim criticorum in delectu habito judicio tantopere posteriores obsequuti sunt, ut ab iis receptos maxime versarent, describerent, imitandosque sibi proponerent. Hinc præterea evenit, ut Quintilianus in eo libro, ubi classicorum scriptorum censum agit, nostri etiam non sine laude meminerit. *Ei,* dicit,† *secundas fere Grammaticorum,* quos diximus, *consensu delatas* in epico carmine, laudatque *poetæ vim et gravitatem, et minime vulgare eloquendi genus.* Habet tamen etiam, quod reprehendat, *affectuum, jucunditatis et dispositionis et omnino artis defectum,* et addit, *plane manifesto hic apparere, quanto aliud sit proximum esse, aliud secundum.*‡

Hunc Romani Rhetoris locum pro fundo sumamus in iis, quæ de poetica facultate nostri ex aliis adstruenda habemus; unde mox patebit, plures in eodem judicio mire convenisse. Sed primum observare juvat, quod Platonis auctoritatem critici Alexandrini sequuti sunt in eo, ut Chœrilum epicorum poetarum numero eximerent, eique præferrent nostrum.

---

* Reliqui erant Homerus, Hesiodus, Pisander, Panyasis. v. Proclus in Excerpt. e Chrestomath. ap. Phot. Cod. CCXXXIX. Tzetzes ad Hesiod. p. 8. ed. Basil. 1542. 8. Sed de omni ratione illorum canonum optime exposuit Ruhnkenius V. Cel. Histor. crit. oratt. Gr. p. XCV. Rutil. Lupo præfixa.

† X. 1. §. 53.

‡ Ultima hæc verba difficiliora sunt, quam primo obtutu videntur, si verum sensum perspicere velis. Quod si auctor ipse sibi constet, plane contrario modo, quam Gesnerus vult, ea erunt accipienda. Scilicet *secundus* esse videtur, qui alium sequitur, non quod nullum intervallum sit, sed quia nemo adest propior, et qui intervallum expleat: *proximus,* qui non longe, sed statim sequitur alterum, nullo intervallo. Hoc modo Statius non *proximum,* sed *secundum* locum a Virgilio tenere optabat, dum dixit: *Nec tu divinam Æneida tenta, sed longe sequere, et vestigia semper adora.* Theb. XII. 816.

Is autem Chœrilus, ne quis erret, non Horatianus ille est, sed antiquior, et Antimachi ferme æqualis, Samius seu Halicarnassensis, qui bella Græcorum cum Dario et Xerxe, nobili carmine celebravit.* De hoc enim apud Proclum agi, nullo modo dubito. Fuerunt tamen eodem seculo Ptolemæorum, qui honorem nostro habitum inviderent, Chœrilo prælato, in his Euphorion, magnus et ipse poeta,† post alii, qui Panyasin secundo loco ab Homero ponerent.‡ Cum Quintiliano contra vel potius Alexandrinis, Antipater consentit Thessalonicensis, Tiberii ævo clarus, cujus poemation superest, in quo Antimachum cum parente poetarum conjungit, et huic soli postponit, vimque in eo laudat ac numerorum majestatem.§ Versus ipsos, prout ab immortali Grotio Latine vertuntur, apponam:

---

* V. loc. classicus in Suida s. v., et cf. Vossius de Poet. Gr. c. 5. Sed parum adhuc actum est in distinguendis diversis hujus nominis poetis. Nostri Chœrili carmina plurimum celebritatis adepta esse. præter Proclum l. l. Suidas quoque auctor est. Citant ejus epos, et versus inde apponunt Strab. VII. p. 303. (464.) et Josephus l. I. c. Apion., quem locum reddidit Euseb. P. E. IX, 9. Ejusdem carminis initium superesse acute conjicit Egregius noster Wolf. apud Aristot. Rhet. III, 14.

Ἡγεό μοι λόγον ἄλλον, ὅπως Ἀσίας ἀπὸ γαίης
Ἦλθεν ἐς Εὐρώπην πόλεμος μέγας —

† Epigramma Cratetis Grammatici, primum editum a Salmasio ad Spartian. p. 44. nuper ab Ill. Brunckio Analectt. T. II. p. 3.

Χοίριλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι
Χοίριλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος,
Καὶ κατάγλωττ' ἐποίει τὰ ποιήματα, καὶ τὰ φίλητρα
Ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν.

Horum versuum flagitiosam elegantiam detexit Sagacissimus Toup. in Epist. crit. p. 135. ed. Lips., ubi docte agit de Euphorione. cf. Reiskii Notit. poet. anthol. p. 211.

‡ Suid. v. Πανύασις. Ἐν ποιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον· κατὰ δέ τινας, καὶ μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον.

§ Contextum scribo iis, quibus Græca græca sunt, non legun-

Antimachi fortes numeros, et carmina lauda,
  Heroum veterum digna supercilio,
Formata Aoniis incudibus, auris acuta
  Si tibi, si tua mens ora severa probat,
Nullius pede trita juvet si te via. Quodsi
  Pieriæ sceptrum laudis Homerus habet,
Vincit Neptunum quoque Jupiter: attamen ille
  Tam Dîs est major, quam Jove rege minor.
Sic uni cedit civis Colophonis Homero,
  Sed colit hunc vatum cetera turba ducem.

Consentit denique Plutarchus venusto loco, ubi Timoleontis gesta rebus Epaminondæ vel Agesilai componens, horum quidem victorias scribit magnis periculis ærumnosoque labore emtas, illius autem præclare facta cum pari magnitudine gratiam quandam facilitatis conjunxisse; quo modo Antimachi poemata cum Homeri ingenio utique comparari posse, quum vim ea habeant et nervos, at Homericis in eo semper concessura, quod operose elaborata, non facile fusa

---

tur. Itaque hic locus concedatur Epigrammati, quod primum a Salmas. ad Spartian. l. c. vulgatum, nunc in Analectt. Brunckianis exstat T. II. p. 115.

Ὄβριμον εὐκαμάτου στίχον αἴνεσον Ἀντιμάχοιο,
  Ἄξιον ἀρχαίων ὀφρύος ἡμιθέων,
Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ' ἄκμοσιν, εἰ τορὸν οὖας
  Ἔλλαχες, εἰ ζαλοῖς τὰν ἀγέλαστον ὄπα,
Εἰ τὰν ἄτριπτον καὶ ἀνέμβατον ἀτραπὸν ἄλλοις
  Μαίεαι. Εἰ δ' ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει,
Καὶ Ζεύς τοι κρείσσων Ἐνοσίχθονος· ἀλλ' Ἐνοσίχθων
  Τοῦ μὲν ἔφυ μείων, ἀθανάτων δ' ὕπατος.
Καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ.
  Ἁγεῖται δ' ἄλλων πλάθεος ὑμνοπόλων.

Epigramma hoc in mente et memoria habuisse Quintilianum, cum judicium suum de Antimacho proferret, putabat Salmas. l. l., isque addit adeo: *Affectibus et jucunditate defici poetam*, quod Quintil. dixit, hoc ipsum agnoscit Antipater, sed laudi, non vitio ducit: *εἰ ζαλοῖς τὰν ἀγέλαστον ὄπα.*

videantur.* Ingeniosum judicium, et quod, de compositione verborum passim asperiore, verum forsan ipsæ nostræ reliquiæ probare poterunt.†

Sed aliis præter hoc majoribusque vitiis poeta laborâsse dicitur. Quorum primum est obscuritas, suborta, ut videtur, maxime ex frequentiore usu glossarum, h. e. vocum et formularum rariorum, a loquendique consuetudine jam remotarum. Tales enim, Homeri aliorumque exemplo, inprimis in deliciis habebant poetæ insequentium ætatum, quibus exquisitiorem et a vulgari et pedestri sermone magis abhorrentem orationem exornarent. Neque id facile vitio iis verterunt antiqui stili censores, nec facere potuerunt. Quin, auctore Quintiliano, *laudem* in nostro *habuit minime vulgare eloquendi genus*, propter quod ipsum etiam carmen nostri *reconditum* vocat Cicero.‡ Est tamen in hoc quoque modus et ratio quædam, ne obscuritatem orationi offundas, qualem carminibus suis nonnulli ex Alexandrinis, præsertim Lycophron, studiose quæsiverunt. Atque hos in hoc

---

* Vit. Timol. p. 253. C. Καθάπερ γὰρ ἡ μὲν Ἀντιμάχου ποίησις καὶ τὰ Διονυσίου ζωγραφήματα, τῶν Κολοφωνίων, ἰσχὺν ἔχοντα καὶ τόνον, (*vim et gravitatem* Quintilian.) ἐκβεβιασμένοις καὶ καταπόνοις ἔοικε, ταῖς δὲ Νικομάχου γραφαῖς καὶ τοῖς Ὁμήρου στίχοις, μετὰ τῆς ἄλλης δυνάμεως καὶ χάριτος, πρόσεστι τὸ δοκεῖν εὐχερῶς καὶ ῥᾳδίως ἀπειργάσθαι· οὕτως παρὰ τὴν Ἐπαμινώνδου στρατηγίαν καὶ τὴν Ἀγησιλάου, πολυπόνους γενομένας καὶ δυσάγωνας, ἡ Τιμολέοντος ἀντεξεταζομένη, καὶ μετὰ τοῦ καλοῦ πολὺ τὸ ῥᾳδίως φαίνεται τοῖς εὖ καὶ δικαίως λογιζομένοις, οὐ τύχης ἔργον, ἀλλ' ἀρετῆς εὐτυχούσης. Plura de duobus pictoribus, Dionysio et Nicomacho, cui scire collibuerit, adeat Junii Catalog. Artif. p. 79. et 134.

† Cf. Dionys. Hal. περὶ συνθ. ὀνομ. p. 22. extr., ubi *Antimachum Colophonium* exemplum τῆς αὐστηρᾶς ἁρμονίας affert, una cum Empedocle, Pindaro, Æschylo, aliis. Ceterum idem scriptor alibi, si modo idem est, nostrum censet diligentem εὐτονίας καὶ ἀγωνιστικῆς τραχύτητος καὶ τοῦ συνήθους τῆς ἐξαλλαγῆς, in Ἀρχαίων ἐξετάσει p. 68. ed. Sylb. ubi v. H. Steph.

‡ Vel hi loci igitur docent, quod Salmas. negabat ad Spartian. l. 1.

genere cum aliorum, tum Antimachi vestigia sequutos esse, produnt passim glossæ apud Grammaticos et Lexicorum auctores ex Antimacho excerptæ, quas ab Alexandrinis poetis mox sæpius adhiberi videmus. Huic autem vitio nostri, si modo vitium fuit, maximam partem fragmentorum debemus, quorum multo essent pauciora, si minus doctus poeta fuisset. Rem solæ Hesychianæ glossæ satis ostendunt.*

Conjungendus est cum hoc orationis vitio affectatus tumor, quem in primis Catullus notat in loco, qui parum honorificam habet nostri comparationem cum Volusii annalibus, *laxas scombris tunicas daturis.*† Idemque attigit Proclus, e cujus verbis simul apparet, qua in re potissimum noster Homero inferior fuerit. Hunc enim poetam, qui, velut cœlesti afflatu correptus, ad veram carminis sublimitatem non vano strepitu verborum, sed vi et gravitate sententiarum evolârat, hunc igitur cum noster sequi vellet, ingenii divini vicem misera supplevit arte, per quam adeo ad grandem turgidamque orationem, et nimiam figuratæ dictionis audaciam delapsus est.‡ In qua Antimachi nota-

---

* V. Fr. LXXXIV. sq.

† Carm. XCV. in Smyrnam Cinnæ:

Populus *tumido* gaudeat *Antimacho.*

Male hic olim legebant *mundo*, quam lectionem et locus Procli statim afferendus, et ipsum Catulli consilium damnat. At Turnebo *tumidus* hic non eo pertinere videbatur, quod Antimachi inflata carmina fuerint, sed quod fuerit ejus grande et longum, prolixum et verbosum poema. Advers. XXVIII, 38. Contra v. Voss. ad Catull. p. 323.

‡ Procl. lib. laud. p. 20. vers. finem: *Δοκεῖ μοι διελεῖν ὁ Πλάτων τὴν ποιητικὴν εἴς τε τὴν ἔνθουν καὶ τὴν τεχνικήν· καὶ διελὼν τὴν μὲν ἀπὸ τοῦ ἐνθουσιασμοῦ μεγαλοφωνίαν καὶ τὸ ὕψος, ἐπὶ τοὺς θεοὺς ἀνενεγκεῖν. Τὸ γὰρ ἁδρὸν καὶ μεγαλοπρεπὲς τῆς ἑρμηνείας, οἱ χρησμοὶ διαφερόντως ἔχουσι· τὴν δὲ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης τέχνης ἀποφήνασθαι μὴ εἶναι πρὸς τὴν τῆς πόλεως ταύτης ἀριστείαν, καὶ τὸ μεγαλουργὸν τῶν ἐν αὐτῇ τραφέντων ἀνδρῶν ἀρκοῦσαν εἰς ἔπαινον.*

tione sane est, quod favet opinioni eorum, qui Latino scriptori Thebaidis nostri imitandi studium tribuunt. Nam a talibus vitiis Statium minime liberum esse, sæpius jam animadversum est.* Quod autem Homeri æmulatorem nostrum modo diximus, hæc, si Porphyrio, Longini discipulo, credimus, non mera imitatio fuit: sed principi poetarum sæpe sua, integrosque adeo versiculos suffuratus est.† Hic quidem causam ejus suspicere velle, hodie temerarium esset, quamquam crimen vel ex eo minuitur, quod a nemine antiquiorum Antimacho objectum, in scriptore demum tertii seculi offendimus. Majus erat, quod jam supra dixi in poeta reprehensum, vitium ex enormi loquacitate et prolixitate, cui ita indulserat, ut idem valeret, ambagibus uti et Antimacheo more loqui. Habemus hujus rei testem locum classicum Plutarchi, ob singularem elegantiam mihi in margine apponendum,‡ unde elucet, ambages Antima-

---

Καὶ γὰρ εἴ τι τεχνικόν ἐστι παρά τινι τῶν ποιητῶν ὕψος, πολὺ τὸ μεμηχανημένον ἔχει καὶ στομφῶδες, μεταφοραῖς χρώμενον ὡς τὰ πολλὰ, καθάπερ τὸ Ἀντιμάχειον. Cf. Bentleii Ep. ad Mill. p. 460. ed. Lips.

* Cf. Barth. ad Stat. Th. V. 92.

† V. Fr. LI. sqq. Cum de re non plane constet, me defensore poeta non eget. Sed legi merentur, quæ de poetico plagio monuit Burmann. Sec. ad Lotich. p. 259.

‡ De Garrulit. p. 513. Ἔστι τρία γένη τῶν πρὸς τὰς ἐρωτήσεις ἀποκρίσεων, τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τὸ δὲ φιλάνθρωπον, τὸ δὲ περισσόν. Οἷον πυθομένου τινὸς, εἰ Σωκράτης ἔνδον, ὁ μὲν ὥσπερ ἄκων καὶ ἀπροθύμως ἀποκρίνεται τό· Οὐκ ἔνδον· ἐὰν δὲ βούληται λακωνίζειν, καὶ τὸ ἔνδον ἀφελὼν, αὐτὴν μόνην φθέγξεται τὴν ἀπόφασιν, (ὡς ἐκεῖνοι, Φιλίππου γράψαντος, εἰ δέχονται τῇ πόλει αὐτὸν, εἰς χάρτην Οὐ μέγα γράψαντες ἀπέστειλαν) ὁ δὲ φιλανθρωπότερον ἀποκρίνεται· Οὐκ ἔνδον, ἀλλ' ἐπὶ ταῖς τραπέζαις, κἂν βούληται προσεπιμετρῆσαι, ξένους τινὰς ἐκεῖ περιμένων. Ὁ δὲ περιττὸς καὶ ἀδολέσχης, ἄν γε δὴ τύχῃ καὶ τὸν Κολοφώνιον ἀνεγνωκὼς Ἀντίμαχον, (si probe animo tenuerit Antimachum suum) Οὐκ ἔνδον, φησὶν, ἀλλ' ἐπὶ ταῖς τραπέζαις, ξένους ἀναμένων Ἴωνας, ὑπὲρ ὧν αὐτῷ γέγραφεν Ἀλκιβιάδης περὶ Μίλητον ὢν, καὶ παρὰ Τισσαφέρνῃ διατρίβων, τῷ τοῦ μεγάλου

cheas doctorum ore pæne in proverbium olim abiisse. At id in fragmentis nunc non observatur. Scilicet, quam culpant prolixitatem, ea non tam in verbis fuit, inutiliter et inani pompa cumulatis, quam in rerum ipsarum ambitu, quem nimis spatiosum, in Thebaide inprimis, sibi videtur sumsisse. Hoc egregie nos docet Gregorius Nazianzenus,* ubi hac ratione Homerum, in describendis et enarrandis rebus, sæpe minutissimis, profecto satis verbosum, præ nostro poeta breviloquentem esse dicit. Ex his tamen, universe dictis, nulla unquam auctoritas accedet iis, quæ de poemate illius, *reditum Diomedis ab interitu Meleagri ordiente*, e Scholiis Horatianis vulgo narrant.† Quippe hoc poema, ut prædixi, scholiorum sarcinatori relinquendum puto.

Jam licet vera sint omnia, quæ in poeta nostro notârunt

σατράπῃ βασιλέως, ὃς πάλαι μὲν ἐβοήθει Λακεδαιμονίοις, νῦν δὲ προστίθεται δι' Ἀλκιβιάδην Ἀθηναίοις. Ὁ γὰρ Ἀλκιβιάδης ἐπιθυμῶν κατελθεῖν εἰς τὴν πατρίδα, τὸν Τισσαφέρνην μετατίθησι. Καὶ ὅλως τὴν ὀγδόην Θουκυδίδου κατατεινόμενος ἐρεῖ, καὶ κατακλύσει τὸν ἄνθρωπον, ἕως φθάσῃ καὶ Μίλητος ἐκπολεμωθεῖσα, καὶ φυγαδευθεὶς τὸ δεύτερον Ἀλκιβιάδης.

* Ep. III. ad Nicobul. *Τὸ λακωνίζειν οὐ τοῦτό ἐστιν ὅπερ οἴει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας. Οὕτως ἐγὼ βραχυλογώτατον Ὅμηρον λέγω, καὶ πολὺν τὸν Ἀντίμαχον.* Πῶς; *τοῖς πράγμασι κρίνων τὸ μῆκος, ἀλλ' οὐ τοῖς γράμμασι.* Hoc maxime loco utitur Pierson. in Herodian. Philet. p. 440. ad restituendum nomen *Ἀντίμαχος* pro *Καλλίμαχος* ap. Lucian. Quom. Hist. conscrib. sit T. II. p. 65., ubi junguntur *Παρθένιος, Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος* in iis, qui inepto loco copiam dicendi ostentant. Conjecturam miror tantopere placuisse Burmanno Sec. ad Propert. p. 472. Ut placeat tamen, sat ingeniosa est; sed vellem Luciani loca aliquot notâssent, ubi serioribus scriptoribus nomen antiquioris sic postponitur. Saltem ea, quibus mutationem suam Piers. commendat, parum valent, minime dictum illud Callimachi de magno libro magno malo, cujus certe ipse auctor Hecales, longi carminis, maxime immemor fuit.

† V. supra p. 24. Not. †.

antiqui, ea vitia virtute non una redimere debuit. Certe id et Alexandrinorum criticorum judicium innuit, et admiratio assiduaque lectio, qua postea quoque dignari eum non desierunt. Ita legitur magnus ejus imitator fuisse Nicander, unde hic etiam plures Doricas formas traxerit.* At quid audimus? Antimachum in carminibus Dorica dialecto usum? Vix hoc aliquis, etiamsi Scholiastes, quem sequimur, diserte dicat, pro vero credulus acceperit. Sed non eam mentem scriptoris esse arbitror, qui nihil magis docet, quam formas Doricas apud Antimachum sæpius, quam apud alios heroicos poetas, occurrisse. Et hoc ipsum aliquot versus in reliquiis confirmant, si librariorum fidem in talibus sequi licet.† Fuerunt nempe, sicut linguæ Græcæ universæ, ita dialecti cujusque, non semper et ubique una atque perpetua forma, qua Græce loquentes scribentesque uti debuerint. Immo potius plures in his mutationes tempore factæ sunt, ut ipsa res et ratio docet. etsi nos quidem, in tanto monumentorum naufragio, pauca hic ad liquidum perducere possimus. Ita, qui post Homerum venerunt poetæ epici, quamquam in plurimis usi non alia dialecto, quam Ionica veteri, qua Homeri carmina scripta sunt, hinc inde tamen videntur ab hac norma leviter recessisse; quod et aliter fieri non poterat, quum scriberent, ut intelligerentur ab æqualibus. Pertinet huc etiam, quod Homerum et ipsum Doricis formis subinde usum Grammatici olim statuerunt. Sed illos hoc forte fefellit, quod, quæ antiquiori ævo pluribus communia fuissent, ea serius uni Doricæ dialecto propria videbant. Postremo

* Schol. Nicand. Ther. 3. Ἔστιν ὁ Νίκανδρος ζηλωτὴς Ἀντιμάχου· διόπερ πολλοῖς αὐτοῦ κέχρηται. Διὸ καὶ ἐν ἐνίοις Δωρίζει, ὡς καὶ νῦν ἐν τῷ παῶν· πηῶν γάρ ἐστι, ὅ ἐστι συγγενῶν. Si pluribus igitur Antimachi vocabulis Nicander usus est, mirandum, id non sæpius in scholiis moneri. Nam semel tantum factum, v. ad Fr. LIV. Forte et hic meliora sciremus, si antiquiorum, qui plures fuerunt, in Nicandrum scholia haberemus.

† V. Fr. III. V. XVIII.

non adeo frequentatæ nostro hujusmodi formæ esse debuerunt, si non plures habuit, quam in Nicandro nunc reperimus.

Sed hæc obiter. Volebam enim demonstrare, Antimachi studium non omnino inter Græcos poetas frixisse, licet non omnia in eo probârint. Deinde illud a Græcis ad Romanos venit, apud quos poetam doctis hominibus nequaquam ignotum fuisse, sæpius adducta verba Ciceronis* persuadent, ne de Catullo, Ovidio et aliis iterum dicam. Ab Augusti tamen ævo, si vera narravit Dio Cassius, non parum negligi cœptus est, ita ut, Hadriano imperante, nomen illius paucis esset auditum.† Hunc autem principem, ille refert, tanto ejus studio flagravisse, ut Homerum adeo ex hominum manibus excutere, hujusque loco Antimachum introducere voluerit. Nimirum imperator, inter criticos quasi alter Tiberius vel Caligula, non indoctus quidem, sed morosi judicii erat, quo etiam Virgilio Ennium præferebat. Antimacheo autem scribendi genere idem ita delectatus est, ut Græcum carmen, nescio quod, ad illius imitationem componeret.‡ Atque hoc laudatissimi principis exemplum mox novos lectores nostro conciliâsse videri

---

* *Magnum illud, quod novistis, volumen.*

† Excerpta Xiphil. e l. LXIX. c. 4. *Οὕτω τῇ φύσει τοιοῦτος ἦν, ὥστε μὴ μόνον τοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς τελευτήσασι φθονεῖν. Τὸν γοῦν Ὅμηρον καταλύων, Ἀντίμαχον ἀντ' αὐτοῦ εἰσῆγεν, οὗ μηδὲ τὸ ὄνομα πολλοὶ πρότερον ἠπίσταντο.* Eadem habet Suid. v. Ἀδριανός.

‡ Spartian. in Hadrian. c. 15. *Catacrianos, libros obscurissimos, Antimachum imitando, scripsit.* In his imperator profecto magistrum longe superavit obscuritate, si ipsum opus non magis lucidum fuit, quam hæc inscriptio. Hanc inter nodos inextricabiles esse docti sciunt, ac si omnem emendandi rationem, quæ criticis placuit, percensere deberem, dies me deficeret. Legunt aut emendant, *Catacaymos*, *Catacaumos* s. *Catacausmos*, *Colocynthas*, *Catachlyanos*, *Catachrianos* h. *κατὰ χρείαν λεγομένων*, *τὰ κατὰ Κάννας*, *κατὰ Ῥιάνου*, *κατὰ Τραϊάνου*, *κατ' Ἀδριάνου*, *κατὰ Τατιάνου* s. *Ἀκκιάνου*, *κατακριτοὺς*, et quid non? Cf. Disputatt. laudd. ab Ill. Harles. Introduct. in Hist. l. Gr. p. 365., et Virum

potest. Certe post illius tempora iterum celebratum poetam videmus. Tum enim Zoticum, Plotini familiarem, legimus novam recensionem Antimachi instituisse, aliove modo ei emendando criticam operam navâsse.* Nec non eodem seculo Longinus, excellentissimus scriptorum judex, poetam illustravit, glossis ejus, ut videtur, singulari libro explicatis.† Sed hæc, aliaque scripta huc pertinentia, in his Dionysii Phaselitæ, Grammatici, opusculum de Antimachi poesi,‡ una cum ipsis carminibus poetæ, adeo absorpsit flumen oblivionis, ut hodie non nisi tabulas passim sparsas multumque concussas conspicere liceat.§

Ad has reliquias nunc pergamus, quibus disquisitione hac proludere voluimus. Sunt hæ quidem, si operum magnitudinem et famam spectes sane satis exiles, plures tamen nunc, quam antea ipse colligi posse putabam, quippe quæ ad centenarium numerum proxime accedunt. Neque tamen dubito, quin, si ab alio doctiore et in veterum libris magis versato hic labor susceptus esset, fasciculum fragmentorum hinc inde pleniorem haberemus et longe etiam meliorem. Sed *in magnis voluisse sat erit.*

---

doctissimum, *Movlines*, sur les livres Catacriens post versionem Gall. Scriptt. Hist. Aug. minorum, editam Berol. 1783. 8vo.

* V. Porphyr. Vit. Plotini c. 7. p. 104. ed. Fabricii, qui Bibl. Gr. lib. IV. parti II. scriptum inseruit.

† Λέξεις Ἀντιμάχου. v. Suid. v. Λογγῖνος. Hac re confirmatum illud habes, quod dixi de obscuro sermone nostri, et passim glossis distincto. Glossæ enim, sive exquisitioris usus vocabula, Græcis λέξεις vocabantur. Idem fere colligitur e Spartiani loco modo laudato, etsi ibi obloquitur Salmasius. Ceterum Longinum de Antimacho cum Platone sensisse, e Proclo didicimus.

‡ Citatur in vetere Vita Nicandri Διονύσιος ὁ Φασιλήτης (sic male ed.) ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀντιμάχου ποιήσεως.

§ Amisimus ita Antimachea pleraque, cum aliorum librorum ruina. Sic Sopater Sophista, Constantini M. ætate, nonnulla nostri in Collectanea sua intulerat, opus eruditum, e multis scriptoribus conflatum, quod recenset Phot. CLXI. p. 339. Fecerat idem Joannes Stobæus, etsi nunc in ejus Eclogis Antimachi nomen non occurrit. v. Phot. p. 374.

DIATRIBE DE ANTIMACHO,

POETA ET GRAMMATICO COLOPHONIO, BLOMFIELDIO FORSAN AUCTORE.

INTER poetas qui Colophone orti sunt, recensentur Hermesianax et Antimachus. De priore eruditè disseruit Ruhnkenius in postscripto ad Epist. Crit. II. De posteriore Kusterus ad Suid. in v. cujus notæ pauca quædam adjicere libet. "Idem etiam (Antimachus)," Kusteri verba sunt, "de Homero scripserat, ut discimus ex Tatiano, Orat. πρὸς Ἕλληνας, 48. et ex vitâ Homeri, quæ vulgò Plutarcho tribui solet: cujus auctor ipso statim initio testatur, Antimachum et Nicandrum memoriæ prodidisse, Homerum fuisse Colophonium. Utrùm verò Antimachus peculiari aliquo opere de Homero scripserit, an verò obiter tantùm in aliis suis scriptis Homerum Colophonium fuisse dixerit, propter silentium veterum non constat." Hactenùs ille. Atqui minimè dubium est, quin hoc Antimachus tradiderit in vitâ Homeri, quam illum conscripsisse, et editioni suæ Iliadis præposuisse credibile est. Ita enim solebant Grammatici; Antimachi autem ἔκδοσις à Scholiastâ Villoisoni sæpiùs citatur. Insedit profectò mihi in animo suspicio, non Nicandrum, sed Nicanora istud de Homero tradidisse; hunc enim de Homero scripsisse scimus: quam quidem quæstionem aliis tractandam relinquo. Dionys. Halicarn. à Kustero citatus, Antimachum inter scriptores illos recenset, qui austerâ compositione usi sunt. Quintilianus ei *vim et gravitatem et minimè vulgare eloquendi genus* tribuit. Catullus xcii. 10. *tumidum* eum dicit; quàm verè autem,

satis liquet vel ex fragmentis ejus quibus ætas pepercit. Et in universum notari potest, omnes ferè poetogrammatistas, vel, si libet, poetas scholasticos, Antimachum dico, Callimachum, Nicandrum, Apollonium, Xenophanem, et ceteros hujus generis, non modò quamplurima Homero furatos esse, verùm etiam antiquissima verba, et obsoleta quæque et veterum ἅπαξ λεγόμενα, unde unde corrasisse et in centones suos transtulisse. Insignis autem de hâc re Plutarchi locus est in vitâ Timoleont. p. 461. ed. Hst. quem in lectorum gratiam integrum adscribam. Καθάπερ γὰρ ἡ μὲν Ἀντιμάχου ποίησις, καὶ τὰ Διονυσίου ζωγραφήματα, τῶν Κολοφωνίων, ἰσχὺν ἔχοντα καὶ τόνον, ΕΚΒΕΒΙΑΣΜΕΝΟΙΣ ΚΑΙ ΚΑΤΑΠΟΝΟΙΣ ἔοικε, ταῖς δὲ Νικομάχου γραφαῖς, καὶ τοῖς Ὁμήρου στίχοις, μετὰ τῆς ἄλλης δυνάμεως καὶ χάριτος, πρόσεστι τὸ δοκεῖν εὐχερῶς καὶ ῥᾳδίως ἀπειργάσθαι. Nota Dionysii ζωγραφήματα (Anglicè *portraits*) de quo pictore Plinius xxxv. 9. *Dionysius nihil aliud quàm homines pinxit, ob hoc Anthropographus cognominatus.* Mireris tamen eundem Plutarchum in Vit. Romul. p. 43. citantem Antimachum τὸν Τήϊον ἐποποιὸν, et quidem Clem. Alex. Strom. vi. 264. laudat ex Antimacho *Teio* versiculum, alicubi, si benè memini ab Eustathio citatum, Ἐκ γὰρ δώρων πολλὰ κάκ' ἀνθρώποισι πέλονται. Sed uterque memoriâ lapsus est; certum enim est, Epopœum Colophonium fuisse, cujus Epos insigne erat ἡ Θηβαΐς. Contrà Ovidius Trist. i. 5. *Clarium* eum vocat; quippe Colophon, Teos, Clarus, omnes Ioniæ urbes fuerunt.

Ceterùm, antequàm ad fragmenta quædam hujus poetæ tractanda accedam, monendus est Lector, nisi id fortè antehàc fando acceperit, Antimachi reliquias jam olim edidisse Schellenbergium, Halæ 1786. subjecit Epistolam Frid. Aug. Wolfius. Hunc libellum, quem egregiis laudibus condecorant Villoisonus et Schweighæuserus, viri quidem præconiorum satis superque prodigi, mihi non adhuc vidisse contigit. Sed qualis tandem cunque sit, dabo forsan nonnulla quæ editorum diligentiam effugerint. De poetâ ipso, præter auctores supra laudatos, plura dabunt Is. Vos-

sius ad Catull. p. 323. Villoison. Prolegom. ad Iliad. p. 24. Stanleius ad Mysos Æschyli p. 858.

Inter Antimachi poemata, primas obtinuit Elegeia, de quâ ita loquitur Plutarchus Consol. Apollod. p. 184. Ἐχρήσατο δὲ τῇ τοιαύτῃ ἀγωγῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ ποιητὴς (Κολοφώνιος) ἀποθανούσης γὰρ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λύδης, πρὸς ἣν φιλοστόργως εἶχε, παραμύθιον τῆς λύπης αὑτῷ ἐποίησε τὴν Ἐλέγειαν τὴν καλουμένην Λύδην, ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωϊκὰς συμφορὰς, τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην. Simile quoddam amoris sui solatium adhibuit Hermesianax. Inter alia, raptum quoque Proserpinæ in Lyde commemorârat Antimachus, utì colligere licet è fragm. apud Suid. v. Ὀργεῶνες. ὁ γοῦν Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λύδῃ γενεᾷ Καβάρνους θῆκεν ἀβακλέας ὀργεῶνας; ubi luce clarius est legi debere Λύδῃ ἐλεγείᾳ. Bochartus ἀγακλέας; rectè; ita enim Photius MS. Versum verò hunc in modum refingo, Καβάρνους (vel Καρβάνους) μὲν ἔθηκεν ἀγακλέας ὀργειῶνας. Photius ὀργιῶνας. Hanc occasionem nactus, versus quosdam Hermesianactis corrigere tentabo, qui apud Athenæum leguntur, et emendatiores apud Ruhnken. Epist. Crit. II. p. 287.

Οὐ μὴν οὐδ' υἱὸς Μήνης* ἀγέραστον ἔθηκεν
  Μουσαῖος, Χαρίτων ἤρανος, Ἀντιόπην·
Ἥτε πολυμνήστησιν Ἐλευσῖνος παρὰ πέζαν
  Εὔοσμον κρυφίων ἐξεφόρει λογίων,
Ῥάριον ὀργίων ἀνέμω διαποιπνύουσα
  Δήμητρα· γνωστὴ δ' ἐστὶ καὶ εἰν ἀΐδῃ.

Ruhnkenius optimè è Cod. Venet. Εὐασμὸν in 4to versu dedit. Pauca autem præmonenda sunt. Musæus filius fuit Eumolpi, qui Sacra Eleusinia instituerat; uxorem verò habuit Antiopam vel Deïopam; cùm autem Musæus Eumolpidarum primus, Cereris mysteria administraret, credibile est Antiopam adstitisse marito, atque εὐασμὸν in honorem

* Hinc liquet apud Suid. v. Μουσαῖος, legendum esse Σελήνης pro Ἑλένης atque ita quidem Aristophanis Scholiasta.

Deæ cecinisse; de quo more Aristophanes Ran. 381. Ἄγε νῦν ἑτέραν ὕμνων ἰδέαν, τὴν καρποφόρον βασίλειαν Δήμητρα θεὰν ἐπικοσμοῦντες ζαθέαις μολπαῖς, κελαδεῖτε. Orpheus Hymn. in Cerer. Eleusin. Ἐγκυκλίοις δίναις περὶ σὸν θρόνον εὐάζουσα. Denique Triptolemus, Musæi avus, paucis ante annis hordeum in campo *Rhario* seminârat. His præmissis, totum locum, ut mihi quidem videtur, longè emendatiorem apponam: quem Ruhnkenius tot tam fœdis maculis contaminatum esse ait, nullam ut inde sententiam elicias.

Οὐ μὴν οὐδ' υἱὸς Μήνης ἀγέραστον ἔθηκεν
Μουσαῖος, Χαρίτων ἤρανος, Ἀντιόπην·
Ἥτε ΠΟΛΥΝ ΜΥΣΤΗΙΣΙΝ Ἐλευσῖνος παρὰ πέζαν
Εὐασμὸν κρυφίων ἐξεφόρει λογίων,
ΡΑΡΙΟΝ ΟΡΓΕΙΩΝΑ ΝΟΜΩΙ διαποιπνύουσα
ΔΗΜΗΤΡΟΣ· γνωστὴ δ' ἐστὶ καὶ εἰν ἀΐδῃ.

Antimachus tradit Cererem Καβάρνους fecisse ὀργειῶνας. Hesychius verò, Κάβαρνοι οἱ τῆς Δήμητρος ἱερεῖς. Quare nihil emendatione nostrâ verisimilius. In v. 3. πολὺν μυστῇσιν pro πολυμνήστησιν tam certum est quàm quod certissimum.

Inter ἡρωϊκὰς συμφορὰς quas in hâc Elegiâ narraverat poeta Colophonius, traditum fuit, satis ridiculè, Herculem ab Argonautis è nave detrusum fuisse ob nimium ejus pondus, teste Schol. Apollon. Rhod. I. 1289. Bellerophontis quoque calamitates ibi memoratæ fuerunt, utì discimus è Schol. Venet. ad Iliad. z. 200. Sed fragmenta quædam, pauca de multis, in lectorum gratiam proferre libet, necnon emaculare.

ANTIMACHI RELIQUIÆ.

ANTIMACHI RELIQUIÆ.

I. ΘΗΒΑΙΣ.

1.

Ἐννέπετε, Κρονίδαο Διὸς μεγάλοιο θύγατρες!

2.

Ἔστι τις ἠνεμόεις ὀλίγος λόφος —

3.

Οὕνεκά οἱ Κρονίδης, ὡς μέγα πάντων ἀνάσσει,
Ἄντρον ἐνὶ σκιῇ τευμήσατο, τοφράκεν εἴη
Φοίνικος κούρα κεκευθμένα. Ὅς ῥα μή τις
Μηδὲ θεῶν ἄλλος γε πάρεξ φράσαι τό κεν αὐτοῦ.

4.

— οἵ οἱ ἔσαν βασιλεύτορες αἰπαλήων.

5.

Τύδης τ' Οἰνείδης.

6.

Τὸν καὶ ζωγρήσας προσέφης, Οἰνείδη Τύδη.

7.

Κύνθος.

8.

Ἀσπασίως δέ σφω ἄγεν οἴκαδε —

9.

— Τὸ καί σφω γείνατο μητήρ.

10.

Πάντα μάλ', ὅσσ' Ἄδραστος ἐποιχομένους ἐκέλευσε
Ῥεξέμεν· ἐν μὲν ὕδωρ, ἐν δ' ἀσκηθὲς μέλι χεῦε
Ἀργυρέῳ κρητῆρι περιφραδέως κερόωντες.
Νώμησαν δὲ δέπαστρα θοῶς βασιλεῦσιν Ἀχαιῶν,
Ἐκ χερὸς εἰστιῶσι, καὶ ἐς λοιβὴν χέον εἶθαρ
Χρυσείῃ προχόῳ —

11.

Ἄλλοις δὲ κρητῆρα, πανάργυρον, ἠὲ δέπαστρα
Οἰσόντων χρύσεια τά τ' ἐν μεγάροισιν ἐμοῖσι
Κείαται —

12.

Καὶ χρύσεια δέπαστρα καὶ ἀσκηθὲς κελέβειον
Ἔμπλειον μέλιτος, τὸ ῥά οἱ προφερέστερον εἴη.

13.

Κήρυκας ἀθανάτοισι φέρειν μέλανος οἴνοιο,
Ἀσκὸν ἐνίπλειον κελεβήϊον ὅττι φέριστον,
Οἷσιν ἐνὶ μεγάροις κεῖται μέλιτος πεπληθός.

14.

— ἀτὰρ ἀμφιθέτον κελέβειον ἑλόντες
Ἔμπλειον μέλιτος, τὸ ῥά οἱ προφερέστερον εἴη.

15.

Πᾶσιν δ' ἡγεμόνεσσιν ἐπιχόμενοι κήρυκες
Χρύσεα καλὰ κύπελλα τετυγμένα νωμήσαντο.

16.

Ὡς ἐπαπειλήτην, ὥσπερ Καυκωνίδα Δύμην
Ἐπραθέτην παίδεσσιν Ἐπειῶν ἀρχεύοντες.

17.

Ἐν δέ συ τοῖσι μάλα πρόφρων ἐπίκουρος ἀμορβῶν
Ὡμίλησας, ὡς διεπέρσατε Δύμιον ἄστυ.

18.

Δήμητρος τόθι φασὶν Ἐριννύος εἶναι ἕδεθλον.

19.

Ἄδραστος, Ταλαῶ υἱὸς Κρηθηϊάδαο,
Πρώτιστος Δαναῶν περ ἐπαινετὼ ἤλασεν ἵππω,
Καιρόν τε κραιπνὸν καὶ Ἀρίονα Θελπουσαῖον·
Τόν ῥά τ' Ἀπόλλωνος σχεδὸν ἄλσεος Ὀγκαίοιο
Αὐτὴ γαῖ' ἀνέδωκε, σέβας θνητοῖσιν ἰδέσθαι.

20.

Ὅς ῥά ποτ' Ἀδράστῳ τριτάτῳ γ' ἐδμήθ' ὑπ' ἄνακτι.

21.

Ἄδραστον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν Ἀρίων.

22.

Ἢ ὕκκην, ἢ ἵππον, ἢ ὃν κίχλην καλέουσιν.

23.

Ῥίμφα δ' ἀπ' ἠπείροιο μελαίνης ὑψόσ' ἀερθεὶς
Πηλείδης ἀπόρουσεν, ἐλαφρὸς ἠΰτε κίρκος,
Τοῦ δ' ἔμπροσθε ποδῶν κρήνη γένετ' ἀενάουσα.

24.

Ἔστι δέ τις Νέμεσις, μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
Πρὸς μακάρων ἔλαχε· βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος
Ἄδρηστος ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο·
Ἔνθα τετίμηταί τε καὶ Ἀδρήστεια καλεῖται.

25.

Λέχριε δὲ δρεπάνῳ τέμνων ἀπὸ μήδεα πατρὸς
Οὐρανοῦ Ἀκμονίδεω λάσιος Κρόνος ἀντιτέτυκτο.

26.

— Τότε δὴ χρυσείῳ εἰνὶ δεπάστρῳ
Ἠέλιον πέμπεσκεν ἀγακλυμένη Ἐρύθεια.

27.

— Ἡφαίστου πυρὶ εἴκελον, ἥν ῥα τιτύσκει
Δαίμων ἀκροτάταις ὄρεος κορυφαῖσι Μοσύχλου.

28.

— Ὥς ῥα τότ' Ἀργείων ἐκολῴει στράτος.

29, 30, 31, 32.

(vide Notas.)

33.

Αὐτὰρ ὁ Διογενὴς ἥρως, ξανθὸς Πολυνείκης,
Πρῶτα μὲν Οἰδίποδι καλὴν παρέθηκε τράπεζαν
Ἀργυρέην Κάδμοιο θεόφρονος· αὐτὰρ ἔπειτα
Χρύσεον ἔμπλησεν καλὸν δέπας ἡδέος οἴνου.
Αὐτὰρ ὅγ' ὡς ἐφράδη παρακείμενα πατρὸς ἑοῖο
Τιμήεντα γέρα, μέγα οἱ κακὸν ἔμπεσε θυμῷ.'
Αἶψα δὲ παισὶν ἑοῖσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἐπ' ἀρὰς
Ἀργαλέας ἠρᾶτο· (θεὸν δ' οὐ λάνθαν' Ἐριννῦν·)
Ὡς οὐχ οἱ πατρῷά γ' ἐνὶ φιλότητι δάσαιντο,
Ἀμφοτέροισι δ' ἀεὶ εἶεν πολεμοί τε μάχαι τε.

34.

(vide Notas.)

II. ΛΥΔΗ.

35.

Φεύγοντας γαίης ἔκτοθι Δωτιάδος.

36.

Εἶπε δὲ φωνήσας· Πόλυβε, θρεπτήρια ταῦτα
Ἵππους τοὶ δώσω δυσμενέων ἐλάσας.

37.

Γέννααν Καβάρνου θῆκεν ἀγακλέας ὀργεῶνας.

38.

— τῶν μεγάλων ἕρκτορες εἰσὶ κακῶν.

39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47.
(vide Notas.)

III. ΕΠΙΓΟΝΟΙ.

48.

Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα —

IV. ΑΡΤΕΜΙΣ.

49.
(vide Notas.)

V. ΔΕΛΤΟΙ.

50.

Ἐλθὼν Εὐκλεία πηγὰς ἔπι δινήεντος.

VI. ΙΑΧΙΝΗ.

51.

— τοὶ δ' ἄρ' οἱ ἀβολήτορες ἄνδρες ἔασιν.

VII. FRAGMENTA INCERTÆ SEDIS.

52.

Ἴδεώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων ἦν ἀνδρῶν.

53.

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη κρείων Διομήδης.

54.

Λαῶν, οἷσιν ἄνασσον, ἐκαρτύναντο φάλαγγας.

55.

Τοῖσιν δ' ὑλήεντα διὰ πλόον ἐρχομένοισιν.

56.

Δήμητρός τοι Ἐλευσινίης ἱερὴ ὄψ.

57.

— Ἐν δ' ἀδόροισι χέειν εὐίλατον ἄλφι.

58.

Ἠύτε τις καύηξ δύνῃ ἐς ἁλμυρὸν πέλαγος.

59.

Πῶρος τοί γ' ἀλόχοισι καὶ οἷς τεκέεσσιν ἕκαστος.

* * * *

Πωρητὺν ἀλόχοισι καὶ οἷς τεκέεσσιν ἔθεντο.

60.

Ως εἴτε κλόνιός τε θουρίης σφονδυλίων ἔξ —

61.

Κοίας ἐκ χειρῶν (εἰς) σκόπελον μεταριπτάζουσι.

62.

Πολλὰ δὲ μῆλα, τάπερ ἀφνήμονας ἄνδρας.

63.

— Ληχμὸν δ' ἐμπάζεσθαι ἀλεείνων.

64.

Πλῆσεν δ' ἄρ' ἐπιστράψας δέπαστρον.

65.

— Λαχμὸν δ' οὐ δείδιεν ἵππων.

66.

Κισσοῦ τε κλυμένοιο, καὶ ἀμπελίνης —

67, 68, 69, 70.

(vide Notas.)

71.

— Τήνου τ' ὀφιοέσσης.

72.

(vide Notas.)

73.

— ὅτι ἀφνειέστατος ἔσκεν.

74.

— — χολάδας δέρτροισι καλύψας.

75.

— — οὐδὲ σπιδόθεν προνοῆσαι.

76.

Κονισσάλεον δίφρον.

77.

— — Θέρεος σταθεροῖο.

78, 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89,
90, 91, 92, 93, 94.
(vide Notas.)

VIII. ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

95.

Τίπτε μόθων ἄτλητος, Ἐνυαλίοιο λέλογχας,
  Κύπρι; τίς ὁ ψεύστας στυγνὰ καθᾶψε μάταν;
Ἔντεά σοι γὰρ Ἔρωτες ἐφίμεροι, ἅ τε κατ' εὐνὰν
  Τέρψις, καὶ κροτάλων θηλυμανεῖς ὄτοβοι.
Δούρατα δ' αἱματόεντα μέθες Τριτωνίδι δίᾳ
  Ταῦτα· σύ δ' εὐχαίταν εἰς Ὑμέναιον ἴθι.

96.

Γηγενέας τε θεοὺς προτερηγενεάς τε Τιτῆνας.

97, &c.

(vide Notas.)

ANTIMACHI FRAGMENTA.

CUM NOTIS INTERPOSITIS.

I. ΘΗΒΑΙΣ.

I.

Ἐννέπετε, Κρονίδαο Διὸς μεγάλοιο θύγατρες!

VERSUM servavit Eustath. ad prima Iliadis, ubi postquam alios poetas, in invocatione carmini præfixa Homeri exemplum sequutos, attulerat in his Sapphonem, cujus tamen fragmentum Ἄγέ μοι, δῖα χέλυ, φωνάεσσα γένοιο emendatius exstat ap. Hermogen. περὶ Ἰδεῶν, lib. II. p. 403, ed. Laurent., profert etiam versum Antimacheum illum, Ὁμηρικῷ ζήλῳ, ut ait, scriptum. Hoc exordium carminis fuisse, credere utique cogit loci Eustath. ratio. At cujus? quæris. Puto, non elegiaci, sed heroici operis, adeoque Thebaidis quam sententiam quoque video esse Lambini ad Hor. A. P. 146. Discrimen quod inter ἐννέπειν et ἀείδειν quærit h. l. Eustath. et alii, nullum est, et grammaticis solum debetur ingeniis. SCH.—Κρονίδας] Schol. Villoisoni ad Iliad. A. 1, male Κρονίωνος. BL.

II.

Ἔστι τις ἠνεμόεις ὀλίγος λόφος —

VERSICULUM sic truncatum servârunt nobis Aristot. Rhet. III. 6, et Strabo IX. p. 409. (627.) ut uberioris descriptionis initium, quod apposuisse satis habebant, quippe lectoribus doctis et poetarum lectione probe imbutis scribentes. Sci-

licet Aristoteles illo loco, ubi de variis modis orationem verbis ampliandi agit, Antimachi utitur exemplo, ut doceat, et illam rationem bonam et elegantem esse, si quis in re laudanda ea ipsa commemoret, quæ rei non insint. Nam ita accipienda sunt dicta: *καὶ τὸ Ἀντιμάχου χρήσιμον, ἐξ ὧν μὴ ἔχει λέγειν, ὃ ἐκεῖνος ποιεῖ ἐπὶ τοῦ Τευμησσοῦ· Ἔστι τις η. ο. λ. Αὔξεται γὰρ οὕτως εἰς ἄπειρον.* Cum laude itaque hic poetam ad partes vocat Aristoteles, neque *ὄγκος τῆς λέξεως*, de quo cap. isto dicit, pro vitio orationis habendus. Explicat Aristotelem quodammodo locus Strabonis cujus animo ipsa verba philosophi obversata fuisse videntur, dum scripsit: *ὁ Τευμησσὸς, ὃν ἐκόσμησεν Ἀντίμαχος, διὰ πολλῶν ἐπῶν τὰς μὴ προσούσας ἀρετὰς διαριθμούμενος· Ἔστι—λόφος.* Quibus subjicit verba, nos parum solantia: *Γνώριμα δὲ τὰ ἔπη.* Nam cum hodie ea ignota sint, facile patet, non recte nobis constare de vi exempli ab Aristotele adducti, quoniam id ipsum, cujus causa locus laudatur, in sequentibus versibus sàtis multis inesse debuit. Sententia vero versuum ejusdem fere tenoris debuit esse, ut in Hom. Od. δ. 566. sq. ubi de Elysio loquens, *non nives ibi esse,* ait, *non hyemem, neque imbrem,* etc. cf. Od. ζ. 43. sqq. Sed noster in cumulandis negationibus, pro loquacitate sua, minus sibi videtur temperàsse, ut ejus locus in arte exemplo magis idoneus existimari potuerit.—Teumessus, alias Telmessus scribi solitus, (de qua varietate Valcken, ad Eurip. Phœn. v. 1107. docte disputat, nostri loci non immemor) mons erat et vicus Bœotiæ, Thebis vicinus, unde nota vel ex Ovidio Teumessia vulpes, quam procul dubio Antimachus in carmine non prætermisit. Hesych. v. *Τευμησία. Περὶ τῆς Τευμησίας ἀλώπεκος οἱ τὰ Θηβαϊκὰ γεγραφότες ἱκανὰ εἰρήκασιν.* De Teumesso cf. Schol. ad Eurip. l. c. et Pausanias Bœot. p. 746, ubi inter alia: *Τευμησσοῦ δὲ ἐν ἀριστερᾷ σταδίους προελθόντι ἑπτὰ, Γλισᾶντός ἐστιν ἐρείπια· πρὸς δὲ αὐτῶν ἐν δεξιᾷ τῆς ὁδοῦ χῶμα, οὐ μέγα, ὕλῃ τε ἀγρίᾳ σύσκιον καὶ ἡμέροις δένδροις.* Cf. Barth. ad Stat. Th. I. 485. II. 331. IV. 372. IX. 709, a quo poeta Polynices sæpe vocatur *juvenis Teumesius,* non *Theumesius,* ut

male vulgo scribunt etiam Bipontini editores.—Ἠνεμόεις, h. e. *altus*, fere nil nisi collis seu montis epitheton perpetuum in Homero. Sed ohe! de *exiguo* colle jam satis est. Cur fragmento hunc locum dederim, mox manifestum erit.

III.

Οὕνεκά οἱ Κρονίδης, ὡς μέγα πάντων ἀνάσσει,
Ἄντρον ἐνὶ σκιῇ τευμήσατο, τοφράκεν εἴη
Φοίνικος κούρα κεκευθμένα. Ὅς ῥα μή τις
Μηδὲ θεῶν ἄλλος γε πάρεξ φράσαι τό κεν αὐτοῦ.

Steph. Byz. Τευμησσὸς, ὄρος Βοιωτίας. Ὅμηρος, ἐν τῷ εἰς Ἀπόλλωνα ὕμνῳ· Εἰς Μυκάλησσον ἰὼν, καὶ Τευμησσὸν λεχεποίην. (Sic ordo in verbis Steph. constituendus. Versus est Hymn. in Apoll. 224.) Ἄστυ, ὡς Δημοσθένης ἐν τρίτῳ Βιθυνιακῶν Ἐκλήθη δ' οὕτως, ὡς Ἀντίμαχος πρώτῳ Θηβαΐδος· Οὕνεκα κ. τ. λ. (Videntur tamen et hæc ad priora non ad ἄστυ referenda esse.) Οἱ κατοικοῦντες, Τευμήσιοι. Καὶ Τευμησία ἡ ἀλώπηξ, ἀπὸ τοῦ ὄρους. Καὶ τὸ οὐδέτερον, Τευμήσειον. Καὶ τὸ ἐκ τόπου, Τευμησσόθεν· καὶ τὸ εἰς τόπον, Τευμησσόνδε. Ἀντίμαχος ἐν πρώτῳ Θηβαΐδος. Omnis hic locus ita est affectus, ut, duplexne sit Antimachi mentio, an una, vix bene divinari liceat, nec id perquirere valde operæ est. Modo ipsi poetæ versus non tam misere essent contaminati! Neque multum expediunt Interpp., quos vide, si lubet. Primum hi versus, nominis Teumessi rationem reddentes, qualem vetus narratio vel fabula prodiderat, nullum fere dubium est, quin sedem suam eodem in loco habuerint, ubi præcedens Fragm. Nomen ergo colli inde natum, οὕνεκα Κρονίδης ἄντρον τευμήσατο οἱ, non *sibi*, ut male vertunt, sed *Europæ a se raptæ*, quam Phœnicis filiam poeta dicit, Homerum sequutus Il. ξ. 321. v. Apollod. III, I. I. ibique Ill. Heyn. Τευμήσατο *struxit*, *paravit*, verbum

ex antiquo sermone repetitum, ab eadem radice pullulans, unde est hodie vulgatius τεύχω, Fuisse autem videntur τεύω, τεύχω, τευτάω, τευμάω et τευμάομαι. Spectat huc, et ad eosdem poetæ versus, quos explicamus, Etym. M. p. 755, l. 50. Τευμήσατο· παρεσκευάσατο, ἐτεχνήσατο· Εἴρηται δὲ, ὅτι τὸν Τευμησὸν τὸ ὄρος ὑπὸ τοῦ Διὸς κατασκευασθέντα εἰς ἀπόκρυψιν τῆς Εὐρώπης ἀπὸ τούτου, κληθῆναι Τευμησὸν, ἀπὸ τοῦ κατεσκευάσθαι. Liquet præterea hinc, *Teumesi* vocabulum prius esse et antiquius, et ad quod Antimachi notatio pertinere unice poterat. Sed ante omnia tentanda fuit loci emendatio, quam timidus equidem virorum intelligentium judicio proponam. Legerim nempe:

Οὕνεκά οἱ Κρονίδης ὅστε μέγα πᾶσιν ἀνάσσει,
Ἄντρον ἐνὶ σκιῇ τευμήσατο, τόφρα κεν εἴη
Φοίνικος κούρα κεκευθμένα, ὡς ἄρα μή τις,
Μηδὲ θεῶν ἄλλος γε παρὲξ φράσσαιτό κεν αὐτοῦ.

Versu l. ex Hom. Il. β. 669, aliisque locis recepi ὅστε. Possit etiam ὅς δὴ μ. π. ἀνάσσει. V. 2. ni fallor, vitium adhuc superest. Saltem mihi nunquam legendo prima in σκιὰ producta occurrit. An legendum ἄντρον ἐνὶ σκιερὸν τευμήσατο? Ubi ἐνετευμήσατο esset copulandum. Potuit quoque scribi ἄντρον ἠλίβατον seu ἠγάθεον, et hoc postea explicari ἐν σκιῇ. Sed quid non potuit fieri in talibus! Deinde v. 2. τοφράκεν divulsi, recte, ut opinor. V. 3. In κούρα κεκ. Doricam formam non tangam, licet in loco adeo corrupto nihil inde possit effici. Mox pro ὅς ῥα, majori interpunctione ante sublata, dedi ὡς ἄρα, et pro φράσαι τό κεν, φράσσαιτό κεν. Parum tamen ipsi mihi hæc placent: ὡς μή τις, μηδὲ θεῶν ἄλλος; sed, ut sunt, ad τὶς intelligendum erit ἄνθρωπος. Ceterum de mytho Europæ a Jove abductæ hoc in primis notabile, quod a poeta Phœnicis filia in Thebanum agrum deducitur, quod solenni ceterorum narrationi non parum adversatur. Non ignobilem tamen hunc narrandi modum fuisse, prodit Pausan. Bœot. c. 19, pr. hisce verbis: Ἐπὶ ταύτῃ τῇ λεωφόρῳ χωρίον ἐστὶ Τευμησσός· Εὐρώπην δὲ ὑπὸ Διὸς κρυφθῆναι φασὶν ἐνταῦθα.

IV.

— *οἵ οἱ ἔσαν βασιλεύτορες αἰπαλήων.*

Ετυм. M. p. 189, l. 6. Βασιλεύτωρ· παρὰ τὸ Βασιλεύω. Ἀντίμαχος ἐν πρώτῃ Θηβαΐδος·—οἵ οἱ ε. β. α. Ultimum versus vocabulum depravatum refinxit Sylburg. in αἰπολιήων aut ἀσπαλιήων. Sed ad ductum litterarum longe propior est conjectura magni Valckenærii, ad Herodot. V, 68, reponentis Αἰγιαλήων. Nempe Αἰγιαλῆες seu Αἰγιαλέες proprie dicti olim Achæi, septemtrionalem et littoralem Peloponnesi partem incolentes, quæ pars et ipsa, postea Achaia, primum dicebatur Αἰγιαλός (littus.) Res nota. Quamquam nonnulli nomina ista ab Ægialeo heroe repetere maluerunt. Interdum tamen poetæ idem nomen Αἰγιαλήων, sicut Homerus Achæorum, adhibuerunt sensu latiori, ut auctor Carm. XXV. inter Theocritea v. 174, loco a Valcken. jam citato.—De voc. βασιλεύτωρ v. ad Fr. XXXVII.

V.

Τύδης τ' Οἰνείδης.

Priscian. Comment. grammat. VI. p. 211, ed. Basil. 1545, hæc notat: *In* eus *Græca sunt, et mutantia* us *in* i *faciunt genitivum, ut hic Tydeus, hujus Tydei. In hujuscemodi tamen terminatione quædam inveniuntur mutatione* eus *diphthongi in* es *longam prolata, ut* Ἀχιλλεὺς, *Achilles;* Περσεὺς, *Perses;* Ὀδυσσεὺς, *Ulysses. In quo Dores sequimur, qui pro* Φιλεὺς, Φίλης (f. Φυλ) *et pro* Ὀρφεὺς, Ὄρφης *et* Ὄρφην *dicunt pro* Τυδεὺς, Τύδης. *Sic Antimachus in* I. *Thebaidos* Τύδης τε Οἰνείδης (scr. τ' Οἰν. ut dedi). *Et vocativum in* e *productam:* Τὸν καὶ ζωγρήσας προσέφης Οἰνείδη Τύδη, *teste Herodiano* in I. *Catholicorum. Similiter Ibycus,* ὄνομα κλυτὸν Ὄρφην *dixit.* Scr. f. ὀνομακλυτὸν,

etc. Quod Herodianus hic testis fit, ἐν τῇ καθόλου προσῳδίᾳ puto, opere frequenter a Grammaticis laudato, ex eo aliquis existimet, non ipsum Thebaidis opus Prisciano ad manum fuisse. Grammatica ejus observatio, quamquam ad Latinos poetas proprie spectat, (v. vel Heins. ad Virg. Ecl. VIII. 70) opportuna tamen venit ad stabiliendum id, quod Schol. Nicandri ad Ther. 3, de dialecti Doricæ usu apud Antimachum adnotavit. v. supra p. 47.

VI.

Τὸν καὶ ζωγρήσας προσέφης, Οἰνείδη Τύδη.

HUNC versum locus Prisciani modo adductus exhibet, sine nomine quidem auctoris, sed quem et ordo verborum in Grammatico, et ipsum ejus argumentum Antimacho vindicat. Neque, hoc semel admisso, valde dubitandum, quin e Thebaide, quod carmen in vicinia adduxit, depromtum habeamus. Est vero admodum elumbis ob nimiam spondaicorum frequentiam, quam talem vix in poetarum principe Homero post Il. α. 11, reperias. Alias hunc imitatur in apostrophe ad Tydeum, ut sæpe est in Odyssea Εὔμαιε συβῶτα, ut π. 464. al.

VII.

Κύνθος.

STEPHAN. BYZ. Κύνθος· παρ' Ἀντιμάχῳ ἐν πρώτῃ Θηβαΐδος· Ὁ οἰκήτωρ Κύνθιος κ. λ. Stephanum habemus multis modis laceratum, idque in hoc quoque nomine. Excidisse aliquid post Κύνθος in aperto est, si non poetæ verba e Thebaide, certe nominis positi explicatio. Supplent Intpp. hanc, ὄρος Δήλου. At si hæc fuit, quid tum opus tam docta auctoritate? Putem itaque hic explicari insulæ

Deli vetustum nomen Κύνθος. Ipse Stephan. v. Δῆλος. Ἐκαλεῖτο δὲ Κύνθος ἀπὸ Κύνθου τοῦ Ὠκεανοῦ. cf. Plin. IV, 12. med. Atque alibi quoque, et in ipsis his fragmentis (N. XXVI.) exempla occurrunt, ubi montes primum habitati mox universæ regioni nomina dederunt, cujus rei causa non adeo longe erit quærenda. Quodsi hæc non mera hariolatio videatur, potuit omnino Antimachus, affectati sermonis auctor, renovare vim verbi obsoletam.

VIII.

Ἀσπασίως δέ σφω ἄγεν οἴκαδε —

IX.

— Τὸ καί σφω γείνατο μήτηρ.

FRAGMINA hæc Thebaidos mihi suppeditavit locus Apollonii περὶ ἀντωνυμιῶν, prolatus a Salmasio ad Solin. p. 598. B. Totum, quantillus est, adscribam: Τὸ πλῆρες σφῶε· (per vitium typothetæ scriptum est σφώς) παρὰ δὲ Ἀντιμάχῳ καὶ μονοσυλλάβως ἐν τρίτῃ Θηβαΐδος, τὸ καὶ σ. γ. μ. καὶ ἐν πρώτῃ, Ἀσπασ. δ. σ. α. ο. Liber hic *de pronominibus* non in editis Apollonii Dyscoli est (neque aliquid ad Antimachum pertinens præbuit summi illius Grammatici opus de Syntaxi) sed latet adhuc cum aliis nonnullis ejusdem auctoris, nominatim libellis περὶ συνδέσμων ac περὶ ἐπιῤῥημάτων, in Bibliotheca regia Parisiensi, unde Salmasius petiit. Docent hoc Kuster. ad Suidam I. I. p. 284. et doctorum Batavorum libri, in quibus nos talibus cupediarum frustulis subinde delectant. Prior versus de deductione Tydei et Polynicis in Adrasti domum agere videtur. Conjecturæ succurrit dualis σφώ, succurrit sedes fragmenti in libro primo, et Statius, eandem rem in principio exponens.

X.

Πάντα μάλ', ὅσσ' Ἄδραστος ἐποιχομένους ἐκέλευσε
Ῥεξέμεν· ἐν μὲν ὕδωρ, ἐν δ' ἀσκηθὲς μέλι χεῦε
Ἀργυρέῳ κρητῆρι περιφραδέως κερόωντες.
Νώμησαν δὲ δέπαστρα θοῶς βασιλεῦσιν Ἀχαιῶν,
Ἐκ χερὸς εἰστιῶσι, καὶ ἐς λοιβὴν χέον εἶθαρ
Χρυσείῃ προχόῳ —

Hunc locum cum sequentibus duobus Athenæus adhibet in disputatione de poculorum vario genere, per se quidem inepta, nobis vero utilissima, ut usum probet rarioris vocis δέπαστρον pro δέπας, quam inprimis Antimacho frequentatam fuisse videmus. Sic ille Deipn. XI. p. 468. A. Σιληνὸς καὶ Κλείταρχος ἐν Γλώσσαις, παρὰ Κλειτορίοις τὰ ποτήρια δέπαστρα καλεῖσθαι. Ἀντίμαχος δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν πέμπτῳ Θηβαΐδος φησίν. Πάντα κ. λ. Antimachea lucis aliquid mutuantur a verbis Ulpiani ap. Athen. XI. princ. Παρὰ τῷ Ἀδράστῳ, ἄνδρες φίλοι, καθίσαντες οἱ ἀριστεῖς δειπνοῦσιν, quæ vel e cyclica vel nostri Thebaide petita sunt. Inde conjectura fit, ab Antimacho convivium descriptum, quo Adrastus duces ad Thebas secum profecturos exceperit. In Statio, ut jam N. Löensis Misc. Epiph. II, 7. bene monuit, nihil horum legimus, nisi quod I, 510 sqq. duos, Tydeum et Polynicen, primum advenientes Adrastus excipit, mox eorum cum filiabus nuptias celebrat, II, 306. sq. At epulas non duobus apparatas hic ab Antimacho describi, ipsi versus innuunt. Multa hic ignorare hodie nos oportet, cum auctorum, qui hæc ex instituto tractârunt, nullus in manibus sit. At versus isti leviter refingendi sunt, quamvis lubricum sit attingere verba, quorum juncturam plane nescimus. V. 2. scr. χεῦον s. χεῦαν, quod jungendum est cum κερόωντες, et intellig. de præconibus seu famulis, ad quos etiam ἐποιχομένους, v. 1. malim referre, quam ad heroes. V. 5. εἰστιῶσι secundam syllabam productam habere potest, ne quid mutes. Res seu mores

antiquitatis, hic occurrentes, nemo legit, qui non simillima ex Homero meminerit, adeoque de his notare supersedeo. Nec minus verba plurima Homerica sunt. v. vel Feith. Antt. Hom. III, 2. Est tamen, quod ab illius consuetudine abhorret, mellis usus in ordinariis epulis. Aliter est Il. λ. 630. Epitheton ἀσκηθὲς videtur esse *purum*, *illibatum*, sed hoc positu id alibi vix occurrat. In fine deficit omnino relatum ad χέον.

XI.

Ἄλλοις δὲ κρητῆρα, πανάργυρον, ἠὲ δέπαστρα
Οἰσόντων χρύσεια, τά τ' ἐν μεγάροισιν ἐμοῖσι
Κείαται —

LEGUNTUR hæc ibidem p. 468. C., ex eodem libro V. Thebaidos, ut videtur, depromta, quæ N. Löens. l. l. conjectura ductus ad libationem refert, quam Manto facit umbris. v. Stat. IV, 463. sq. At in talibus ne conjecturæ quidem locum esse putem. Pro ἄλλοις f. leg. ἄλλοι, nempe κήρυκες seu κοῦροι.

XII.

Καὶ χρύσεια δέπαστρα καὶ ἀσκηθὲς κελέβειον
Ἔμπλειον μέλιτος, τὸ ῥά οἱ προφερέστερον εἴη.

AFFERT Athenæus ibid. et inferius XI. p. 475. F. ubi subjungit. Σαφῶς γὰρ νῦν κελέβειον ἀντὶ ἀγγείου τινὸς τέθεικε προειπὼν ποτήρια δέπαστρα. Dixerat antea, qualis poculi species κελέβη fuerit, incompertum esse: Silenum et Clitarchum vocem in glossis Æolicis numerâsse, Nicandrum autem τὴν κελέβην habere ποιμενικὸν ἀγγεῖον μελιτηρόν. Atque sic explicatur in Hesych. Cf. Palmer. Exercitt. p. 792. Quod vocabulum a nostro sæpius usurpatum, alia mox fragmenta indicabunt.—SCH.—Primus versus

notandus est, ob tres voces antiquas. Exemplis autem ab Athenæo allatis adjici potest versus Euphorionis, poetæ, si quis alius, locutionum obsoletarum sectatoris, ap. Schol. Theoc. II, 2, Ὅστις ἐμὴν κελέβην Ἀλυβηΐδα μοῦνον ἀπηύρα. —BL.

XIII.

Κήρυκας ἀθανάτοισι φέρειν μέλανος οἴνοιο,
Ἀσκὸν ἐνίπλειον κελεβήϊον ὅττι φέριστον,
Οἷσιν ἐνὶ μεγάροις κεῖται μέλιτος πεπληθός.

Versus etiam hos debemus Athen. XI. 7. p. 475. de κελέβῃ agenti; Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος ἐν πέμπτῳ Θηβαΐδος φησί· Κήρυκας κ. λ. Sanari ii potuerunt leni medela, primum, ut comma post οἴνοιο tollatur, mox scribatur ὅ ττι, idque conjungatur cum seq. versu, hac sententia: *Jussit dominus* (hæc enim cum superioribus forte interciderunt.) *præcones vas afferre vino plenum, quod optimum in ædibus repositum esset.* Hæc tamen ut lenis, ita levis medicina est, cum nondum intelligatur, qui vas potuerit dici οἴνοιο ἐνίπλειον simulque μέλιτος πεπληθός, id quod doctiores me docebunt. Sed prior vs. adhuc mendum occulit. Scr. f. κήρυκας αὐτοῖσι aut simile quid. Quippe media in κήρυκες non corripitur, et quando fit, versus non liber est a vitii suspicione. Ita olim Il. ρ. 324. lectum κήρυκι Ἠπυτίδῃ, nunc restitutum κήρυκ' Ἠπ. Sed ἀθάνατοι vel per se huc non pertinent. Μέλας οἶνος est ἐρυθρός, ut sæpe ap. Hom., quo vini genere Græci tum maxime utebantur. Ἐνίπλειον est a Casaub. pro ἔμπλειον, et κελεβήϊον, h. κελέβειον, per epexegesin τῷ ἀσκὸν appositum est. De utre v. Feith. loco modo cit.—SCH.—Forsan legendum:

Κηρύξας ἄλλοισι φέρειν μέλανος οἴνοιο
Ἀσκὸν ἑοῖ πλεῖον, κελέβειόν θ' ὅττι φέριστον.

Dedi ἑοῖ pro ἐνι: quo jure, sciet lector, quando inspexerit

Porsoni notam ad Hecub. 2. Ed. 3. Confer Ruhnkenii notam ad Hermesianactis Eleg. v. 2. ubi errore typographico editur νῖσθα pro οἶσθα.—BL.

XIV.

— ἀτὰρ ἀμφιθέτον κελέβειον ἑλόντες
Ἔμπλειον μέλιτος, τὸ ῥά οἱ προφερέστερον εἴη.

Ibidem ap. Athen. Ἀμφίθετος similiter epitheton φιάλης est ap. Hom. Il. ψ. 270. et 616. ad quos locos v. Athenæum XI. p. 501. ubi variæ Grammaticorum explicationes afferuntur.

XV.

Πᾶσιν δ' ἡγεμόνεσσιν ἐπιχόμενοι κήρυκες
Χρύσεα καλὰ κύπελλα τετυγμένα νωμήσαντο.

Athen. XI. p. 482. F. de κυπέλλῳ disputans: Ἀντίμαχος ἐν πέμπτῳ Θηβαΐδος· Πᾶσιν κ. λ. Pro ἐπιχ. f. corr. ἐποιχόμενοι. Altero versu epithetorum copiam nullis particulis junctam notarem, nisi id in Græcis tritissimum esset. Epitheta omnia ex Homero sunt. N. Löensi l. c. versus dicti videbantur de distributione præmiorum ducibus, in Archemori funebribus facta; Sed in eodem libro adhuc in Adrasti ædibus versari videntur.

XVI.

Ὡς ἐπαπειλήτην, ὥσπερ Καυκωνίδα Δύμην
Ἐπραθέτην παίδεσσιν Ἐπειῶν ἀρχεύοντες.

Hæc ex Antimachi Thebaide excitavit Tzetza ad Lycophr. v. 591. et scriptores plures, quorum locos partim Potter. in nota indicat, ea in mente habuerunt. Strabo VIII. p. 387. (594.) Ἐφεξῆς δ' ἐστὶν ἡ Δύμη, πόλις ἀλίμενος, πασῶν (in

Achaia) δυσμικωτάτη, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα· πρότερον δ' ἐκαλεῖτο Στρατός· διαιρεῖ δὲ αὐτὴν ἀπὸ τῆς Ἠλείας κατὰ τὸ Βουπράσιον ὁ Λάρισσος ποταμὸς ῥέων ἐξ ὄρους· τοῦτο δ' οἱ μὲν Σκόλλιν καλοῦσιν, Ὅμηρος δὲ πέτρην Ὠλενίην. Τοῦ δ' Ἀντιμάχου Καυκωνίδα τὴν Δύμην εἰπόντος, οἱ μὲν ἐδέξαντο ἀπὸ τῶν Καυκώνων ἐπιθέτως εἰρεῖσθαι αὐτὸ, μέχρι δεῦρο καθηκόντων, καθάπερ ἐπάνω προείπομεν· οἱ δ' ἀπὸ Καύκωνος ποταμοῦ τινος, ὡς αἱ Θῆβαι Διρκαῖαι καὶ Ἀσωπίδες, Ἄργος δ' Ἰνάχειον, Τροΐα δε Σιμοῦντις. Locus ad quem hic remittitur, est in eod. libro p. 345. ubi Geographus refert, nonnullos universam regionem, serius Eleam appellatam, a Messenia usque ad Dymam, *Cauconiam* quondam dictam prodidisse, itaque Antimachum incolas universe Epeos et Caucones nominâsse. Cf. eund. p. 342. ubi verba: Δύμης ὑπό τινων Καυκωνίδος λεγομένης non minus ad Antimachum videntur pertinere. Porro Steph. Byz. in Fragm. Seguer. v. Δύμη. Ἀντίμαχος δὲ Καυκωνίδα φησὶν αὐτὴν ἀπὸ Καύκωνος ποταμοῦ, ὡς Διρκαίας τὰς Θήβας, ἔνιοι δὲ καὶ Ἀσωπίδας (Ultima scripsi ex emend. Berkel.) Quem locum e Strab. fluxisse, statim animadvertes. Profecit inde et Eustath. ad Il. p. 228. Bas. De Dymis, ex historia Achæorum notissima urbe, v. Polyb. II, 41. Pausan. Ach. c. 18. et Livius passim, qui sic pluraliter nomen effert, Apollodori exemplo ap. Steph. l. c. Fragmentum, quoad rem, me parum intelligere fateor, nec perspicio, quam Dymæi agri vastationem dicere potuerit. In Statio nihil tale legi, qui alias Dymen narrat copias bellicas dedisse, quæ Hippomedontem sequebantur, IV, 124.

XVII.

Ἐν δέ συ τοῖσι μάλα πρόφρων ἐπίκουρος ἀμορβῶν
Ὡμίλησας, ὡς διεπέρσατε Δύμιον ἄστυ.

FRAGMENTUM e lib. V. Theb. petitum debemus eidem Stephano v. Δύμη, sed altero versu ibi vulgatur ὡμιλῆσαε.

Quod scripsimus, conjectura est Berkelii, cujus doctam animadversionem malo subjungere, quam nova propria nugari. "Versus profecto sunt obscurissimi; et cum nonnisi paucissimæ Antimachi reliquiæ, nihil ad rem facientes, hic et alibi circumferantur, et antecedentia ac sequentia prorsus sint incognita, difficillime quis verum sensum ex iis expiscabitur; præsertim cum poeta communi dicendi genere non utatur, sed vocibus a vulgari significatu longe remotis, quod olim etiam Quintilianus testificabatur. Ad τὸ ἐπίκουρος quod attinet, vulgo quidem *adjutorem* denotat, sed talem hic desiderat sensus, qui cum imperio aliis præest. Hunc significatum colligere licet ex Hesychio; Ἐπίκουροι· βοηθοὶ, σύμμαχοι, ἐπίσκοποι, quæ ultima vox imperium quoddam et super eminentiam significat. Τὸ ἐπίκουρος igitur, ut cum Livio loquar, est *dux auxiliaris*, sive auxiliariæ cohortis præfectus. Nostra hæc sententia verbis Etymol. M. optime confirmabitur. Ita enim ille: Ἐπίκουροι λέγονται, οἱ ἀπὸ ξένης χώρας σύμμαχοι τῶν πολεμουμένων καὶ βοηθοί. Σαρπηδὼν ἐπίκουρος ἔστι τῶν Τρώων· οἱονεὶ τῶν πολεμουμένων βοηθός. Sic Sarpedon de se ipso ap. Hom. Il. ε. 478. loquitur. Callimachi Schol. ad H. in Dian. (v. 45.) τοὺς ἀμορβοὺς reddit ἀκολούθους, παρὰ τὸ ἅμα πορεύεσθαι. Etym. M. Ἀμορβός· σημαίνει καὶ τὸν ἀκόλουθον, ὁ ἅμα τινὶ ὁρμῶν. Hinc suspicor, ἀμορβοὺς denotare *milites, qui ex peregrina regione ducem in aliorum auxilium missum sequebantur*. Antimachus igitur bellum Thebanum cantans, ducem quendam in Thebanorum auxilium missum, laudibus effert, ejus virtutem et prudentiam in occupanda Dyme ita deprædicans: *Inter hos tu quoque prudentissimum militum auxiliariorum ducem te gessisti, nam victoria potiti, nec frustra ad bellum profecti, urbem Dymiam diripuistis*. In qua conjectura si non erro, non adeo difficile erit Antimachi mentem percipere." Glossam ἀμορβὸς habet etiam Callim. Fragm. Bentl. 46. sed ibi pro *custode armenti;* nempe *qui pecora sequitur;* atque Apollon. Rh. III, 881. Τῇ δ' ἅμα Νύμφαι ἕπονται ἀμορβάδες. Hinc vera videtur explanatio Schol. Nicand. in Nott. ad

Hesych. v. ἀμορβεύων adducta: Ἀμορβεύειν, τὸ ἀκολουθεῖν καὶ ὑπηρετεῖν. At ἐπίκουρος eo sensu, quem Berkel. vult, cum genitivo conjunctum, magnam habet insolentiam.

XVIII.

Δήμητρος τόθι φασὶν Ἐριννύος εἶναι ἔδεθλον.*

PAUSAN. Arcad. c. 25. p. 649. in agri Thelpusii descriptione, rationem cur Ceres Erinnyos nomine venerit, redditurus sic ait; Ὁμολογεῖ σφίσι (Θελπουσίοις οἱ τὴν θεὸν καλοῦσιν Ἐριννῦν) καὶ Ἀντίμαχος, ἐπιστρατείαν Ἀργείων ποιήσας ἐς Θήβας· καὶ οἱ τὸ ἔπος ἔχει· Δήμητρος κ. λ. In quibus verbis, ut in transcursu moneam, Latinus interpres, vertens *alteram Argivorum expeditionem*, novum Antimachi opus temere et proprio profert ingenio. Oppidum Arcadiæ, de quo ap. Pausan. sermo, in edito colle quondam situm, nec longe dissitum a Psophide, et Θέλπουσα, et Τέλφουσα, aliis Τέλφουσσα, ut Polybio II, 54., apud Steph. vero etiam Θάλπουσα scribitur, ut non minor hic varietas scripturæ sit, quam in nomine Delphusæ, Bœotii fontis, quam docte recenset Ruhnken. V. Cel. Ep. crit. p. 17. ed. nov. Sed in Arcadici oppidi finibus Pausan. memorat Oncium, vicum, ut Kühnii correctione utar, ab Onco olim regnatum. Hujus reguli armentis, narrabant incolæ, Cererem se immiscuisse, Neptuni ut insidias fugeret, equæ formam indutam, mox tamen a deo, in equum et ipso mutato, initam fuisse. Qua de re mire animo commotam Cererem causam dedisse cognomini, nimirum ut Ἐριννὺς a Thelpusiis vocaretur, ab ἐριννύειν, quod hinc pro ὀργίζεσθαι apud Arcades dici notat Etym. M. p. 374. Hoc quidem vel ad versus ipsius explicationem dicendum erat. Ἔδεθλον h. l. pro ἕδος. Suidas expl. ἕδρασμα.

---

* Vide Frag. XXXII.

XIX.

Ἄδραστος, Ταλαῶ υἱὸς Κρηθηϊάδαο,
Πρώτιστος Δαναῶν περ ἐπαινετὼ ἤλασεν ἵππω,
Καιρόν τε κραιπνὸν καὶ Ἀρίονα Θελπουσαῖον·
Τόν ῥά τ᾽ Ἀπόλλωνος σχεδὸν ἄλσεος Ὀγκαίοιο
Αὐτὴ γαῖ᾽ ἀνέδωκε, σέβας θνητοῖσιν ἰδέσθαι.

Exhibet eximium fragmentum idem scriptor eod. loc. p. 650., ubi illam Thelpusiorum narrationem de Neptuni et Cereris amore ulterius persequitur. Malo autem Pausaniæ dicta propriis verbis contrahere, quam ipsa Græca adscribere. Narrârunt igitur, Neptunum cum Cerere congressum, præter filiam sancti nec nisi ad initiatos prodendi nominis, in regione Thelpusia genuisse et *Arionem* equum, unde etiam Neptunum a Thelpusiis primum inter Arcades cognominatum fuisse Ἵππειον. (De hoc nomine alia fabulantur alii. Vid. quos citant ad Hesych. v. Ἵππειος Ποσειδῶν.) Atque eam famam, de Arione, Neptuni prole, firmari omnino posse putabant duorum antiquissimorum carminum auctoritate, Iliadis Homericæ, et Thebaidos. Nempe quod ille Arioni γένος ἐκ θεόφιν tribuit Il. ψ. 347., id ad Neptunum spectare non dubitabant: Alterius vero carminis (cyclici, ut videtur. Cf. supra p. 23.) versum

Εἵματα λυγρὰ φέρων σὺν Ἀρίονι κυανοχαίτῃ

idem si non demonstrare, saltem αἰνίσσεσθαι dicebant. (Hoc quidem sat lepide. Nam pari jure Calain quoque et Zeten pro Neptuni κυανοχαίτου filiis habere poterant quibus non minus

Κυάνεαι δονέοντο μετὰ πνοιῇσιν ἔθειραι

ut Apollon. Rhod. ait I, 223.) Nunc subjungit Pausanias, ab illa opinione Antimachum longius recedere, ut qui versibus suis Arionem e terra progenitum tradiderit. Atque

versus ii sunt, quos apposui. In primo Talaus, pater Adrasti, est Κρηθηϊάδης, a Cretheo, Talai proavo. Vid. Schol. ad Eurip. Phœn. v. 425. et stemma in Heyn. Tabb. geneal. ad Apollod. p. 1010. Cujus generis patronymica non adeo rara sunt, inprimis ap. Ovid. ut Met. IV, 672.—V. 2. περ h. l. nulla graviore vi positum, ut sæpe in Homero, de quo bonam Aristarchi notam servavit Schol. Apollon. Rh. I, 299.—V. 3. Ita binos equos Adrasti currui dedit Antimachus, in eo melius servans heroici illius temporis morem, quam plurimi sequiorum poetarum, de quibus v. Salmas. ad Solin. p. 630. et Valken. ad Eur. Phœn. p. 19. Certe ap. Homer. nusquam currui junctos quatuor equos manifeste reperias, præter Hectoreo Il. θ. 185. quamvis et horum duo παρήοροι haberi possint, et ad alterorum latus alligati. De Cæro, equo minus nobili, altum apud Statium et alios silentium est, unde forte mireris, cur nomen in Κραιρὸν mutârit Valcken. l. c. p. 659. Sed forsan a capite desumtum nomen aptius putavit. Accedit forsan, quod alibi Καιρὸς numinis nomen est. v. Paus. Eliac. prior. c. 14. cf. Athenag. Deprec. p. 140. ed. Lindn. Non magis nota nomina equorum, olim in fabulis celebrium, præbet Stesichori fragm. ap. Etym. M. p. 544. l. 54.—'Αρείονα verior videtur esse scriptura, cum ex etymologia in Schol. ad Il. ψ. 347. prolata, tum ob auctoritatem, quam ab accuratioribus Homeri recensionibus habet ap. Eustath. p. 1304. Rom. Θελπουσαῖον pro Θελπούσιον ex ante dictis satis clarum. Hinc idem equus 'Αρκὰς Callimacho in Fragm. Bentl. 82. p. 457. Cf. aliud Fragm. p. 517. Arcadum traditionem de Arione alii quoque sequuti sunt, ut Apollod. III, 6. p. 213. et Ovid. Met. VI, 118.—V. 4. Apollo 'Ογκαῖος (de hac forma v. Eustath. ad Od. π. 471.) vel 'Ογκαιάτης, cujus ædes erat ad Oncium, qui vicus ipse forte Ὄγκα dictus, etsi non miscendus cum cognomine altero Thebani agri, unde Minervæ Oncææ nomen derivat Schol. Pindar. Ol. II, 47. In versu denique ult. summa rei versatur. Nempe ex Antimachi mente Arionem Terra genuerat *sine alicujus interventu.* Hoc enim valet αὐτῇ, ut ap. Hesiod.

Θ. 924. *αὐτὸς* de Jove Minervam e capite suo procreante. Apud Statium Arionis sæpe mentio, ut a Neptuno procreati, sed matrem non prodit. v. potiss. IV, 43. VI, 301. sqq. 447. 503. 529. ubi plerumque notavit Barth.—SCH.—Lege ΠΑΡ' ἐπαινετῷ ἤλασεν ἵππῳ.—BL.

XX.

Ὅς ῥά ποτ' Ἀδράστῳ τριτάτῳ γ' ἐδμήθ' ὑπ' ἄνακτι.

PAUSAN. l. c. p. 651. de Arione adhuc loquens : Λέγεται καὶ τοιάδε· Ἡρακλέα πολεμοῦντα Ἠλείοις αἰτῆσαι παρ' Ὄγκου τὸν ἵππον, καὶ ἑλεῖν τὴν Ἦλιν ἐπὶ τῷ Ἀρίονι ὀχούμενον ἐς τὰς μάχας· δοθῆναι δὲ ὑπὸ Ἡρακλέους ὕστερον Ἀδράστῳ τὸν ἵππον. Ἐπὶ τούτῳ δὲ ἐς τὸν Ἀρίονα ἐποίησεν Ἀντίμαχος· Ὅς ῥά κ. λ.—Præter hunc versum si non plures de Arione adscripserat Antimachus, nihil inde aliud confici poterat, quam illius tertium possessorem Adrastum fuisse. Nonnihil enim variatum est in fabula, ut videmus in Scholio (ab Eustath. etiam exscripto) ad Il. ψ. 346. Κοπρεὺς, Ἁλιάρτου Βασιλεύων, πόλεως Βοιωτίας, ἔλαβε δῶρον αὐτὸν παρὰ Ποσειδῶνος· οὗτος δὲ αὐτὸν Ἡρακλεῖ ἐχαρίσατο, γενομένῳ παρ' αὐτῷ· τούτῳ δὲ διαγωνισάμενος Ἡρακλῆς πρὸς Κύκνον, Ἄρεος υἱὸν, καθ' ἱπποδρομίαν, ἐνίκησεν ἐν τῷ τοῦ Παγασαίου Ἀπόλλωνος ἱερῷ, ὅ ἐστι πρὸς Τροιζῆνι (v. Hesiod. Scut. Herc. 120.) εἶθ' ὕστερον αὖθις ὁ Ἡρακλῆς Ἀδράστῳ τὸν πῶλον παρέσχεν, ἐφ' οὗ μόνος ὁ Ἄδραστος ἐκ τοῦ Θηβαϊκοῦ πολέμου διεσώθη, τῶν ἄλλων ἀπολουμένων. Ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς Κυκλικοῖς. Sed cf. Stat. Theb. VI, 301. sqq. qui Antimachum ibi sequi videtur, notante jam N. Loënsi Misc. Epiph. I, 6. Pro ποτ' in versu f. leg. τοτ', at nihil definire licebit. Pro γ' ἐδμήθ' rectius forsan esset δέδμηθ' h. ἐδέδμητο, de quo jam monitum ad Pausan. Ceterum hoc fragmentum cum anteced. duobus ad Thebaidem pertinuisse, non vana erit conjectura, cum de priore Pausan.

ipse fidem faciat, nec is auctor poetam nostrum in alio opere usquam ad partes vocaverit.

XXI.

Ἄδραστον δὲ μόνον ἵππος διέσωσεν Ἀρίων.

VERBA sunt ex Apollodoro III, 6. 8., quem locum equidem pro spurio non habuerim, quoniam scriptor accuratus, narratis aliorum ducum ad Thebas satis, hic Adrasti celebrem fugam tacere vix potuit. At cur ista inter Antimachea retulerim, hæc, licet forte debilior, causa est, quod Barthius ad Stat. Th. II, 197. in margine cod. Palatini Apollodori verbis adjectum reperisse se testatur: Ἀντιμάχου. Latet enim hujus adjecti auctoritas. Verborum tamen numeri manum heroici poetæ prodere videntur. Nam in solutam orationem quamvis subinde hexametri initium aut clausula irrepserit, integrum tamen versum hexametrum mihi quidem, in Græcis certe, nondum occurrisse fateor. Verum versus, ut nunc est, parum habet poetici coloris, sed hunc restituere conati sunt Barthius l. c. et Cel. Mitscherlich Epist. Crit. p. 33., hic quidem feliciter sic:

Ἄδραστον δὲ μόνον δῖος διέσωσεν Ἀρίων,

epitheto ex Homero desumto.—Adrasti e Thebis fuga cum Arionis velocitate multum celebrari a poetis debuit. Sed quæri licet, cur in fuga Adrasti, qui tamen, ut antea vidimus, bigis vectus est, et hic, et in alterius Thebaidis fragmento, ad N. XVIII. allato, unius tantum Arionis mentio fiat. An dicamus, equitando eum servatum? Certe hæc ars, etsi Thebanis Trojanisque temporibus in bellis nondum usurpata, non omnino tunc ignota fuit, quod et Centaurorum mythus arguit, et ipse Homerus docet Il. κ. 513, sqq., ad quem locum non una causa difficiliorem hæc pensiculatius in lectionibus egregii nostri Wolfii tractata audivimus.

Atque idem locus Hom. huic, de quo quærimus, similis videri potest. Nam et ibi Diomedes cum Ulysse, saluti suæ consulentes, neglecto Rhesi curru, ad equitandum confugiunt. Attamen ab Antimacho quoque uni equo perniciori et nobiliori, quod duobus debuerat, tribui forte potuit, ut fere in Hesiod. Scut. 120. Et hoc suadet etiam Stat. XI. 440. sqq.—Quid autem moror in versu, quem facile aliquis e versuum numero ejiciat, uno vocabulo ἵππος ap. Apollodor. pro glossemate rejecto.

XXII.

Ἢ ὕκκην, ἢ ἵππον, ἢ ὃν κίχλην καλέουσιν.

Athen. VII. p. 304. F. de hippo pisce: Μνημονεύει αὐτοῦ Ἀντιφάνης ὁ Κολοφώνιος ἐν τῇ Θηβαΐδι λέγων οὕτως· Ἢ, κ. λ. Antiphanem celeberrimum mediæ Comœdiæ auctorem, Demosthenis æqualem, etsi patria ejus non explorata est, nemo tamen Colophonium prodidit, ut nec hic nec alius cognominis poeta Thebaidem scripsisse perhibetur. Hinc jam versum illum inter nostri fragmm. reposueram, cum videbam Jonsium de Scriptt. H. P. I, 7. p. 34. et Bentleium in Ep. ad Mill. p. 460. ed. Lips. ap. Athen. pro Ἀντιφάνης restituere Ἀντίμαχος. Habeatur itaque versus inter Antimacheos hiatuum concursu parum gratus.—Primum ἢ cum seq. syllaba vel pronunciando conjungendum, (de quo v. Clark. ad Il. ι. 533. et alibi) vel abjiciendum, quod malim. Nomina ipsa piscium sunt. De ὕκκῃ seu ὕκῃ v. Athen. VII. p. 327. B. qui e Zenodoto monet, eundem Cyrenensibus ἐρυθρῖνον vocatum, a nonnullis vero eundem habitum ἰουλίδι, de quo pisce v. Ill. Schneider. ad Æl. N. A. II, 44.—Ἵππος Hesychio explicatur ὁ μέγας θαλάσσιος ἰχθύς. Cf. Plin. H. N. XXXII, 11. qui nomen hippi retinuit. Κίχλη, Latinorum putatur *turdus*, inter saxatiles pisces habitus. v. Plin. eod. loc. et IX, 15. ibique I. Fr. Gronov. cf. Ælian. N. A. XII, 28.

XXIII.

Ῥίμφα δ' ἀπ' ἠπείροιο μελαίνης ὑψόσ' ἀερθεὶς
Πηλείδης ἀπόρουσεν, ἐλαφρὸς ἠΰτε κίρκος,
Τοῦ δ' ἔμπροσθε ποδῶν κρήνη γένετ' ἀενάουσα.

Schol. Lycophron. Alex. v. 245. ad verba: Πελασγὸν ἅλμα λαιψηροῦ ποδός κ. λ. hæc notat: Χρησμὸς ἦν δοθεὶς Ἕλλησι, τὸν προπηδήσαντα τῶν Ἑλλήνων κατὰ τῶν Τρώων ἐκ τῶν ὁλκάδων, πρῶτον τῶν ἄλλων ἀποθανεῖν. Προπηδήσαντος δὲ τοῦ Πρωτεσιλάου, καὶ ἀναιρεθέντος ὑφ' Ἕκτορος ἢ ἑτέρου τινὸς, ὁ Ἀχιλλεὺς τῷ τούτου παθήματι παιδευθεὶς, ὕστερον ἁπάντων τῆς ἰδίας νεὼς πηδήσας, πλήττει τὴν γῆν, καὶ ὕδωρ ἐξ αὐτῆς ἀνεδόθη, ὡς φησὶ καὶ ὁ Ἀντίμαχος· Ῥίμφα —ἀενάουσα. Καὶ Εὐριπίδης φησὶ διὰ Νεοπτολέμου· Το Τρωϊκὸν πήδημα πηδήσας ποδοῖν. Locus Euripidis est in Androm. 1140. ubi v. Barnes., etsi is tam hic quam ad Eurip. Electr. 439. mythi rationem pervertit. Non enim de navi primus prosiluit Achilles, nec hujus saltu deceptus Protesilaus, sed Ulyssis, ut seriores nonnulli fabulantur, super clypeo stantis. Primus potius Protesilaus fuit, qui in hosticam terram descendit, Achilles autem postremus, qui, ut Eustath. ad Il. β. 698. ait. ὑπέτρεσε κατά τινας, καὶ τελευταῖος εἰς γῆν κατεπήδησε. Cf. Lucian. D. M. XIX. p. 411. ed. Reitz. Hanc famam etiam Antimachus sequutus, Achillem fecit tanto impetu in terram prosilientem, ut sub ejus pedibus statim fons existeret. Est adeo hic locus in re rarius a scriptoribus memorata, pro classico hodie habendus, et explicatur hinc Thessalus saltus, qui in proverbium abiit, ab A. Turnebo Advers. XXVII, 29.—V. I. statim videas corrigendum esse ἐπ' ἠπείροιο, h. e. *in terram*. Nam de navi, non a terra ἀπόρουσεν, quod ipsum verbum emendationem firmat, nec non Schol. Lycophr. paullo superius: πηδήσας ἐκ τῆς νεὼς εἰς τὴν γῆν, quibus cf. Schol. ad Androm. l. l. Μέλαινα, solenne epitheton terræ. Ὑψόσε

ἀερθεὶς pingit tantum saltum et corporis motum, ut Od. ϑ. 375. et sæpe alibi ap. Hom. *Circus* e genere accipitrum est, de quo veterum loca suppeditabit C. Gesner. Hist. Nat. p. 48. Habet eum Ill. Buffon pro Linnæi falcone æruginoso. Ἐλαφρότατος πετεηνῶν vocatur quoque Il. χ. 139. ubi eadem fere comparatio. Κρήνη ἀενάουσα, *fons jugis, perennis*, epith. orn. Vox ἀενάων iis addenda est, in quibus prior syllaba natura brevis producitur, ut ἀκάματος, ἀθάνατος aliaque, quæ habet Clark. ad Il. α. 398., nec igitur audiendus Eustathius, qui Od. ν. 109. in plurimis exemplaribus videtur reperisse αἰενάοντα. V. eum p. 1735. l. 57. R. cf. Hesiod. O. et D. 548. 593.

XXIV.

Ἔστι δέ τις Νέμεσις, μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
Πρὸς μακάρων ἔλαχε· βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος
Ἄδρηστος ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο·
Ἔνθα τετίμηταί τε καὶ Ἀδρήστεια καλεῖται.

Fragmentum, inter Antimachea facile celeberrimum, servavit primus Strabo XIII. p. 588. (880), post hunc plures alii, Harpocrat. p. 13., Suidas v. Ἀδράστεια, Eustath. ad Il. β. p. 355. Mich. Apostol. Proverbb. I, 40, eoque recentiores quidam alluserunt idve advocârunt, præsertim Parœmiographi, ut Erasm. Adag. p. 725., ad quem loc. cf. H. Steph. in Nott. Meminit horum versuum Geographus, cum in agri Cyziceni descriptione narrat, sua adhuc ætate Adrasteæ fanum apud Cyzicum ostendi. Ipsa verba nulla laborant difficultate. V. 1. ἣ τάδε πάντα ad ea refer, de quibus ante in carmine dictum erat, nempe forte, *impiorum facinorum ultionem, justorumque remunerationem* etc. Hoc muneris πρὸς μακάρων ἔλαχε. Posterius verbum solenne de parte seu provincia numini cuique tributa, quæ alias τιμὴ, γέρας, αἶσα dicitur, ut sæpe in Hesiod. Theog., ubi v.

c. conf. 422. Finale ν in ἔλαχε, quod addunt alii, postremæ syllabæ cæsura inutile facit. V. 2. εἴσατο Eustath. l. c. explicat ἵδρυσε, *posuit*. Mox Maussacus ad Harpocrat. animum alio forsan intentum habuit, dum correxit Ἀσώποιο; nullum quippe fluvium esse Æsepum, et hunc librariorum vitio natum. Asopus Bœotiæ est, cum Æsepus sit Lyciæ seu Troadis, de quo Hom. Il. β. 825. aliique sæpiss. Cf. Apollon. Rh. I, 1115. et ibi Schol. V. 4. Ἀδρήστεια primum igitur adjective (Adrasti dea) ex mente Antimachi Nemesis vocata est, quod nomen posthac vertit in proprium. Atque ita Nemesin eandem deam cum Adrastea habuit, ut plerique alii, etiam inter Romanos. Ammian. Marcell. XIV. p. 34. ed. Ernesti V. Cel. *Adrastia, quam vocabulo duplici etiam Nemesin appellamus.* Grammaticis aliæ Adrasteæ notationes magis placuerunt.

XXV.

Λέχριε δὲ δρεπάνῳ τέμνων ἀπὸ μήδεα πατρὸς
Οὐρανοῦ Ἀκμονίδεω λάσιος Κρόνος ἀντιτέτυκτο.

Plutarch. Quæst. Rom. p. 275. A. *Διὰ τί τῷ τοῦ Κρόνου ναῷ χρῶνται ταμείῳ τῶν δημοσίων χρημάτων, ἅμα δὲ καὶ φυλακτηρίῳ τῶν συμβολαίων; Πότερον ὅτι δόξα κατεῖχε καὶ λόγος, οὐκ εἶναι πλεονεξίαν ἐν ἀνθρώποις οὐδὲ ἀδικίαν, Κρόνου βασιλεύοντος, ἀλλὰ πίστιν καὶ δικαιοσύνην; ἢ ὅτι καρπῶν ἀρετῆς, ἢ γεωργίας ἡγεμὼν ὁ θεός; Ἡ γὰρ ἅρπη τοῦτο σημαίνει, καὶ οὐχ, ὡς γέγραφεν Ἀντίμαχος, Ἡσιόδῳ πειθόμενος· Λέχριε κ. λ.* Locus Hesiodi, qui designatur, est in Theog. v. 160. sqq., ubi fabula de Cœli genitalibus a Crono filio exsectis. In versibus hinc expressis sententiam non omnino assequi licet, cum divulsi sint a reliqua oratione. In primo statim corrigendum puto λεχρία vel λέχρις, quod adverbium Apollonii Rh. auctoritatem habet III, 238., ubi Schol. ἐκ πλαγίου. An hoc forte ad λόχον,

in quo Cronus se occultabat, referendum? Δρέπανον ex Hes. notum. Mox ἀποτέμνων jungendum et scr. ἄπο. Ἀκμονίδης, doctum patronymicum Urani, quem exquisitior aliquis physicus mythus Acmonis filium tradiderat. Alcmanem ad eam rem e Scholiastis suis laudat Eustath. p. 1154. 23. R., cujus verba simul docent, paullo ante p. 1150. l. 58. pro ὁ τοῦ Κρόνου πατὴρ Ἄκμων ἐκαλεῖτο scribi debere, ὁ τοῦ Οὐρανοῦ, nisi ipse sui immemor fuisse dicendus sit. Nec verum videtur illud, cum in tribus locis superstitum poetarum, in quibus hoc nomen servatum inveni, constanter Urano tribuatur, non Saturno. Nam cum nostro cf. Callim. Fragm. 147. ex Etym. M. haustum p. 94. et Simmiæ Carmen v. 1. Anall. Brunck. T. I. p. 205., quem versum Schol. T. III. p. 43. editus sic reddit: Ὁρᾷς με τον γῆς τε ἄνακτα, καὶ τὸν Οὐρανὸν ἄλλῃ ἑδράσαντα, ubi in textu est, Ἀκμονίδαν ἄλλυδις ἑδράσαντα.

XXVI.

—Τότε δὴ χρυσείῳ εἰνὶ δεπάστρῳ
Ἠέλιον πέμπεσκεν ἀγακλυμένη Ἐρύθεια.

Athenæus XI. p. 469. Ὅτι καὶ ὁ Ἥλιος ἐπὶ ποτηρίου διεκομίζετο ἐπὶ τὴν δύσιν, Στησίχορος μὲν οὕτως φησίν· Ἅλιος δ' Ὑπεριονίδας κ. λ.—καὶ Ἀντίμαχος οὕτως λέγει· Τότε δὴ εὐχρέῳ ἐν δέπαϊ Ἠέλιον κ. λ. Verba Antimachi in principio corruptissima sic, ut posui, emendavit Casaub. ad Athen. p. 790. Ipsam fabulam, quæ Solem poculo vectum inducit, natam credere licet ex antiquiore loquendi more, minus bene et proprie intellecto. Nam, ut Casaub. l. l. ait, poculi ac navigii eadem ferme olim fuerunt et figura et nomen, ut κύμβη, κυμβίον, ἄκατος, ἀκάτιον, σκαφὶς, κάνθαρος. Sed otium mihi hic fecerunt viri eruditissimi, Bentleius Respons. ad Boyl. p. 213. ed. Lips. Heyn. in Nott. ad Apollod. p. 393. Suchfort Fragmm. Stesichori p. 14. De Erythia,

insula Oceani occidentalis remotissima, unde ibi Solis occasum ponebant, v. eundem Heyn. V. III. ad Apoll. p. 386. —SCH.—Conjicio τότε δὴ μὲν ἐΰχρεῳ ἐν δέπαϊ σφε Ἠελίου, κ. τ. λ. vel etiam δὴ τότ' ἐϋχόῳ.—BL.

XXVII.

— Ἡφαίστου πυρὶ εἴκελον, ἥν ῥα τιτύσκει
Δαίμων ἀκροτάταις ὄρεος κορυφαῖσι Μοσύχλου.

Schol. Nicand. Ther. 472. p. 31. (ed. Io. Soter.) ad Σάου ἠὲ Μοσύχλου·—Ὁ Σάος δὲ καὶ ὁ Μόσυχλος ὄρη εἰσὶ τῆς Σάμου. Μέμνηται δὲ τούτων τῶν τόπων, τὴν Λῆμνον καὶ Σαμοθρᾴκην, ἑκατέρας τὰς νήσους διὰ τούτων σημαίνων. Ἐκαλεῖτο δὲ Σάος καὶ ἡ ὅλη Θρακικὴ Σάμος· καὶ Μόσυχλος δὲ, τὰ ὄρη τῆς Λήμνου, ὡς Ἀντίμαχος· Ἡφαίστου. κ. λ. Καὶ Ἐρατοσθένης· Εὖ τοι ὅσοις φαίνεσκε Μοσυχλαίῃ φλογὶ ἶσον.—Scholion vel turbatum est, vel in principio post ὄρη εἰσὶ τῆς Σάμου addendum καὶ Λήμνου. Hesych. Μόσυχλον· ὄρος Λήμνου. De montibus illis, Sao et Mosychlo, apud alios nihil memoratum legi, præter Nicandrum, quem conf. etiam v. 458. 9. Hinc fragmento nostro pretium aliquod accedit. Sai montis mentio latet fortasse oblitterata in Hesych. v. Σάμου ὑληέσσης—καὶ τὸ ἐν αὐτῇ ὄρος, et citato ibi Schol. min. Il. ν. 12. ubi nunc legitur: Τῆς Σαμοθρᾴκης· τὸ μέν τοι ἐν αὐτῇ ὄρος Σαώκη καλεῖται. Habemus tamen Saocen montem et ap. Plin. H. N. IV, 12. med. Quod postea adscribit Nicandri Schol., longius patuisse Sai appellationem, atque etiam omni Samothraciæ datam, advocandus huc erit Eustath. ad Dionys. Perieg. 533., qui, tradita vulgata ratione, qua σάμους veteri sermone τὰ ὕψη valuisse, indeque insulæ nomen venisse putabant, sic pergit: Οἱ δέ φασιν, ὅτι Σάμος λέγεται ἡ Θρᾳκία, οἱονεὶ Σάος τις, καὶ κατὰ πλεονασμὸν τοῦ μ, Σάμος, ἀπὸ Σαΐων, ἔθνους παλαιοῦ οἰκήσαντος αὐτήν· οὗ μέμνηται καὶ Ἀρχίλοχος, ὁμολογῶν ἄχραντον τὴν αὐτοῦ ἀσπίδα ἐν τῇ φυγῇ πολέμου

ῥίψαι παρ' αὐτοῖς. Postrema habet ex Strabone X. p. 457. (702.), ubi noti versus Archilochi adscripti sunt. Saum vetustius insulæ fuisse nomen, docebit quoque Diodor Sic. IV, 47., a levi mendo purgatus. Dixerat ibi primum: Τὴν Σαμοθρᾴκην ἔνιοι μὲν φασὶ τὸ παλαιὸν Σάμον ὀνομασθῆναι: mox aliorum sententiam allaturus pergit, ἔνιοι δὲ φασὶ τὸ παλαιὸν Σάμον νῆσον καλουμένην, διὰ τοὺς ἀποικισθέντας ἔκ τε Σάμου καὶ Θρᾴκης, Σαμοθρᾴκην ὀνομασθῆναι. Posteriore loco procul dubio scrib. Σάον, quo Diodorus ipse ducit, cap. seq. Saonem aliquem prodens, qui ab insula nomen suum acceperit. Superest Σάου nomen, sic latius usurpatum, ap. Lycophr. antiquarum vocum frequentatorem, Cass. 78., ubi v. Potter. Certiora, puto, sciremus, si Polemonis geographicum opus de Samothracia superstes esset, citatum ab Athen. IX. p. 372. A. Sed veniamus ad Mosychlum, alterum montem, æque prætermissum a Geographis. Attigit eum Bochart. de Colon. Phœn. I, 12., et præter Scholiastæ nostri locum nihil nisi etymologias suas potuit propinare. Ignivomum illum montem fuisse, ex ipsis Antimachi versibus, et Eratosthenis fragmento discimus, et satis nota aliunde tota Lemnus propter ignis subterranei explosiones; notus *Lemnius pater*.—Εἴκελον, ἣν relata fuerunt ad φλόγα aut simile quid, nisi potius fuit ὅ ῥα, ubi vi sequentis consonæ articulus produci potest. Δαίμων, h. θεὸς, de Vulcano intelligo. Is τιτύσκει *projicit, eructat ignem*; quod activum exquisitius positum pro medio, quo Homerus utitur de eadem re Il. φ, 342.

Ἥφαιστος τιτύσκετο θεσπιδαὲς πῦρ.

XXVIII.

—Ὥς ῥα τότ' Ἀργείων ἐκολῴει στρατός.

Eustath. ad Il. β. 212. ἐκολῴα. Σημείωσαι δὲ, ὅτι, Ὁμήρου δευτέρας συζυγίας εἰδότος τὸ κολῳῶ, καθὰ δηλοῖ τὸ ἐκολῴα, ὅμοιον ὂν τῷ ἐβόα, φασὶν οἱ παλαιοὶ, καὶ πρώτης αὐτὸ εἶναι

παρ' Ἀντιμάχῳ, εἰπόντι· Ὣς—στρατός. Ἔστι γὰρ τὸ ἐκολῴει, ὡς τὸ ἐποίει. Dicit Grammaticus, non tantum formam κολωάω, qua Hom. utitur, sed etiam κολωέω in usu fuisse, et hanc Antimachi auctoritate confirmat. In verbis hujus, ultimam τοῦ ἐκολῴει contrahi in unam syllabam existimem, ut ἀοιδῆς Hesiod. Θ, 48. et quæ ibi observavit Cel. Wolf. Similiter Il. ο, 18. ἢ οὐ in unam coalescunt.—SCH.—Lege:

Ὥς ῥα τοτ' .... στρατὸς Ἀργείων ἐκολῴει.—B.

XXIX.

STEPH. Byz. v. Αἶα tandem adjicit: Ἔστιν Αἶα καὶ Μακεδονίας πηγή, ὡς Ἀντίμαχος ἐν Θηβαΐδι. Etym. M. p. 27. l. 25. Αἶα καλεῖται καὶ κρήνη ἐν Παιονίᾳ. Est hic ille fons, prope Amydonem in Pæonia, Macedoniæ tractu, situs, quem Criticorum quidam olim in Homero quærere seu potius in eum inferre nitebantur Il. Є, 850., versu sic immutato:

Ἀξιοῦ, ᾧ κάλλιστον ὕδωρ ἐπικίδναται Αἴης,

quod judicium sequi non dubitavit Strabo VII. p. 330, (509.), si quidem Axii undæ turbulentæ, neque adeo pulchræ fuerint. Geographi locus, ad quem adeundus Casaubonus, in fine sic forsan erit restituendus: Οὐ γὰρ τὸ τοῦ Ἀξιοῦ ὕδωρ κάλλιστον τῆς γῆς τῇ ὄψει κίδναται, ἀλλὰ τὸ τῆς Αἴης τῷ Ἀξιῷ. Male certe editur: ἀλλὰ τῆς γῆς τ. Ἀξ. E sententia Strabonis porro patet, vers. 158. Il. φ. ab eo vel omnino non agnitum vel aliter lectum fuisse.

XXX.

SCHOL. ad Æschyl. S. ad Th. 549. p. 98. Steph. Παρθενοπαῖος Ἀρκάς. Ἀντίμαχος φησὶν Ἀργεῖον αὐτὸν, οὐκ Ἀρκάδα. Est is unus e septem primi belli Thebani ducibus, quem plurimi filium tradiderunt Iasidis Atalantæ, unde

Æschylo v. 534. est μητρὸς ὀρεσκόου βλάστημα, etsi Schol. id ad Antiopen quandam seu Parthenopen matrem trahit, forte immemor κυναγοῦ 'Αταλάντης ap. Eur. Suppl. 888. Certe priorem famam fere sequuntur Tragici, indeque heroem patria quidem faciunt Arcada, at puerum Argos concessisse narrant, unde posthac pro Argivo se gessisse. V. loc. cit. Eurip. et Æschyl. S. T. 550. Sophocl. O. C. 1385. Hinc Euripid. Phœn. 1160. Ὁ δ' Ἀρκὰς, οὐκ Ἀργεῖος, Ἀταλάντης γόνος. Ita bene ab Antimacho Argivus potuit dici, ab altera nempe patria. Statio semper vocatur Arcas, Th. VI, 561. IX, 858. et alibi.

XXXI.

Idem ad Sept. c. Th. 166. p. 76. Steph. Ὄγκα ἡ Ἀθηνᾶ παρὰ Θηβαίοις ἐτιμᾶτο. Et paucis interjectis: Ὀγκαία τοίνυν ἡ Ἀθηνᾶ τιμᾶται παρὰ Θηβαίοις. Ὄγκα δὲ παρὰ Φοίνιξιν ἡ Ἀθηνᾶ, καὶ Ὀγκαίαι πύλαι. Μέμνηται τούτου καὶ Ἀντίμαχος καὶ Ῥιανός. De antiquissimo hoc Minervæ cognomine, apud Thebanos præsertim proprio, Ὄγγα s. Ὄγκα monere supersedeo, quum de eo sategerint VV. DD. v. Intpp. ad Æschyl. l. c. p. 235. ed. Cel. Schütz. Intpp. ad Hesych. T. II. p. 713. Valcken. Ad Eur. Phœn. p. 726. et Ill. Heyn. ad Apollod. p. 553. Scholion autem nostrum, etsi non clare dicit, cujus rei potissimum meminerit Antimachus, non videtur tamen ad fragm. e Pausan. antea N. XVIII. allatum respicere.

XXXII.

Vetus Scholion ad Stat. Theb. III, 466. ad *Gemini vates* h. e. Melampus et Amphiaraus, quod primum edidit Barthius: *Dicunt, poetam ista omnia ex Græco poeta Antimacho deduxisse, qui et ipse...gam Thebaidem scripsit, et veteribus in magno pretio habitam.* Scholion a recentiore manu esse,

quæ Græcum opus non ipsum versârat, in aprico est. E mutilo verbo nihil exsculpo.

XXXIII.

Αὐτὰρ ὁ Διογενὴς ἥρως, ξανθὸς Πολυνείκης,
Πρῶτα μὲν Οἰδίποδι καλὴν παρέθηκε τράπεζαν
Ἀργυρέην Κάδμοιο θεόφρονος· αὐτὰρ ἔπειτα
Χρύσεον ἔμπλησεν καλὸν δέπας ἡδέος οἴνου.
Αὐτὰρ ὅγ' ὡς ἐφράδη παρακείμενα πατρὸς ἑοῖο
Τιμήεντα γέρα, μέγα οἱ κακὸν ἔμπεσε θυμῷ.
Αἶψα δὲ παισὶν ἑοῖσι μετ' ἀμφοτέροισιν ἐπ' ἀρὰς
Ἀργαλέας ἠρᾶτο· (θεὸν δ' οὐ λάνθαν' Ἐρινννῦν·)
Ὡς οὐχ οἱ πατρῷά γ' ἐνὶ φιλότητι δάσαιντο,
Ἀμφοτέροισι δ' ἀεὶ εἶεν πόλεμοί τε μάχαι τε.

Athenæus XI. p. 465. F. Ὁ Οἰδίπους δι' ἐκπώματα τοῖς υἱοῖς κατηράσατο, ὡς ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα πεποιηκὼς φησὶν, ὅτι αὐτῷ παρέθηκαν ἐκπώματα, ἃ ἀπηγορεύκει, λέγων οὕτως· Αὐτὰρ κ. λ. Diserte itaque fragmentum ad cyclicam Thebaidem ab Athenæo refertur, unde mireris, cur Valckenærius ad Phœn. p. 25. illud Antimacho promte assignârit, idque eo loco, ubi nostri Thebaidem a cyclica distare docet. Num putavit ille, cum versus ii, quos itidem e cyclica Thebaide Schol. Soph. O. C. 1371. laudat, diversa ab his versibus de Œdipi diris narrent, ita utramque narrationem ad unum carmen pertinere non posse? At hoc nescio an contra diserta verba Athenæi satis valeat, et utique plus semel mala prece filios detestari Œdipus potuit, neque major illa diversitas est. Præterea non video, quæ causa potissimum hoc fragmentum, non alterum ap. Sophocl. Schol. Antimacho vindicet. Ita forte, nisi error subest, viri summi notam, centies lectam, non satis intelligo; adeoque versus hic apponere malui. Orationem ii habent Homericæ con-

suetudini et facilitati similiorem, quam Antimachei plerique. Ex Homero etiam verba pleraque et mores sunt, ut nihil explicationis opus sit. Textum fragmenti, antea leviter depravatum, ut dedi, restituerunt Casaub. ad Athen. et Valcken. ll. cc. Unum revocavi, v. 8. Ἐριννύν, quod Valck. mutârat in Ἐριννύς. Res ipsa, imprecationes Œdipi in filios, pluribus poetis argumentum fuere, quos excitat Ill. Heyn. ad Apollod. p. 604., quibus adde Stat. Th. 1, 49. sqq. Meminerunt earum etiam prosaici, ut Plato Alcib. II. pr. et Legg. XI. p. 931. B. Steph. Οἰδίπους ἀτιμασθεὶς ἐπεύξατο, ad fragmentum nostrum apposite.

XXXIV.

Pausan. Bœot. c. 18. p. 746. Πρὸς τῇ πηγῇ (Οἰδιποδίᾳ) τάφος ἐστὶν Ἀσφοδίκου· καὶ ὁ Ἀσφόδικος οὗτος ἀπέκτεινεν ἐν τῇ μάχῃ τῇ πρὸς Ἀργείους Παρθενοπαῖον τὸν Ταλαοῦ, καθὰ οἱ Θηβαῖοι λέγουσιν. Ἐπεὶ τά γε ἐν Θηβαΐδι ἔπη τὰ ἐς τὴν Παρθενοπαίου τελευτὴν Περικλύμενον τὸν ἀνελόντα φασὶν εἶναι. Dedi locum et hunc, monitu adductus Valckenærii ad Eurip. Phœn. v. 1164., qui et hoc ad nostrum poetam trahit. Nam licet viri, dum vixit, sagacissimi rationes non exputem, malo tamen erroris ipse argui, quam tantam auctoritatem negligere. Quippe mihi de cyclica potius Thebaide Pausanias loqui videtur, quam eodem plane modo excitat alio loco, Arcad. p. 650., ut et Apollod. I, 8. 4., ubi v. Ill. Heyn. p. 997. Sed v. supra p. 23. Notandum hic, quod apud Stat. IX, 855. sqq. Parthenopæus a Dryante occiditur, quæ diversitas ex Antimacho esse potest.

II. ΛΥΔΗ.

XXXV.

Φεύγοντας γαίης ἔκτοθι Δωτιάδος.

Pentametrum ex altero libro Lydes citat Steph. Byz. in Fragm. Seguer. v. *Δώτιον*. De Dotio, Thessaliæ oppido, et regione, ita Strabo IX. p. 442. (674.) *Ἐν τῷ Δωτίῳ πεδίῳ· τοῦτο δ' ἐστὶ πλήσιον τῆς Περραιβίας καὶ τῆς Ὄσσης καὶ ἔτι τῆς Βοιβηΐτιδος λίμνης, ἐν μέσῃ μὲν πως τῇ Θετταλίᾳ.* Adeo *Δωτιὰς γαῖα* idem erit, quod *πεδίον Δώτιον* in Apollonii Rh. versu, a Steph. adducto. Jam Strabo verbis istis statim subjicit versus Hesiodi, quos si conjungas, ut Ill. Heynius sagaciter ad Apollod. p. 695. fecit, cum alio ejusdem poetæ fragmento, a Pindari Schol. ad Pyth. III. servato, videbis, Coronidem Hesiodo dici, quæ *νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα, Δωτίῳ ἐν πεδίῳ.* Quin in Hymn. Hom. XV, 3, clarius Æsculapium *Δωτίῳ ἐν πεδίῳ* peperisse Coronis dicitur. Alii enim Laceream, Thessalicum locum, puellæ fecere patriam, ut Pind. Pyth. III, 59., quem sequitur Apollon. Rh. IV, 616., qui locus tamen et ipse proximus Bœbeidi paludi fuit. An igitur in illo Antimachi versu sermo fuit de Ischye et Coronide, horum nobili in fabulis amore? an potius de Thessalis, Dotio relicto, in Cnidum insulam olim profectis, de quibus v. Salmas. ad Herod. Rhet. Inscript. p. 28.—Hæc quidem conjectura, si ulla in talibus hariolatio esse potest, melior videatur priore, cum illorum amorum tristis exitus omni fugæ valde adversetur.—SCH.—Stephanus Byzant. v. *Δώτιον*—*Ἀντίμαχος ἐν Β' Λύδης·*

Φεύγοντας χώρας ἔκτοθι Δωτιάδος.

Vid. Valcken. ad Scholia in Eurip. Phœniss. 52 quem ver-

sum ideo citavi, ut monerem Sophoclis Pelei fragmentum, a Brunckio prætermissum, apud eundem Stephanum extare. MS. Bibl. Coislin. p. 289. Βασιλεὺς χώρας τῆς Δωτιάδος.—BL.

XXXVI.

Εἶπε δὲ φωνήσας· Πόλυβε, θρεπτήρια ταῦτα
Ἵππους τοὶ δώσω δυσμενέων ἐλάσας.

SERVATI sunt in Schol. ad Euripid. Phœn. v. 44., ubi Jocasta narrat, Laii interemti bigas ab Œdipo ad Polybum translatas esse. Ad h. l. Schol.: Ὅτι δὲ Πολύβῳ δέδωκε τοὺς ἵππους, καὶ Ἀντίμαχος φησὶν ἐν Λύδῃ· Εἶπε κ. λ. Idem diu ante et Pisander tradiderat, quod docet docta enarratio ad Phœn. v. 1748. In illo scholio lectio ἐν Λύδῃ jam a Meurs. in Bibl. Gr., post a Valcken. reducta est, cum in superioribus libris plerisque esset ἐν Λήδῃ, in quo Θηβαΐδι latere perperam putabat Barnesius. Elegis enim Thebais scripta non fuit. Rectius autem in primo versu reposuit ταῦτα, ubi antea legebatur τάδε, ob vocalium concursum minus concinne. Polybus, Œdipodis nutritor, et diu creditus pater, e fabulis satis notus. Huic θρεπτήρια, *educationis mercedem*, redditurus Œdipus donat equos. Sæpe sic θρεπτήρια s. θρέπτρα ap. Hom. occurrunt, ut Il. δ. 478. ρ. 302. Notandum autem, poetam in his versibus Œdipum, loquentem induxisse, unde de tenore carminis existimari licet. Ad rem denique ipsam adjicere juvabit Valckenærii verba: Œdipus cæde perpetrata, mox Thebas non abiit, nec Delphos quidem, quo destinaverat proficisci: neque enim homicidæ μυσαρῷ fas erat, πρὶν καθαρθῆναι, templum ingredi: Corinthum itaque rediit, atque inde, postquam regium currum atque equos Polybo reliquisset, καθαρθεὶς τὸν φόνον, Delphos profectus est deum adhibiturus. Prima specie leve videtur, quod de curru Laii tradunt

Pisander, Antimachus et Euripides; sed erat in hac historia res maximi momenti. Nam si curru regio vectus Œdipus venisset Thebas, aut si currus infectus sanguine quomodocunque Thebas fuisset deductus, quî tandem cædes regis tam diu potuisset in obscuro latere? Turpiter itaque se dedit in elaborata sua Thebaide Statius, umbram Laii fingens, dum regiam intraret, viso curru fuisse conterritam, II, 65. Barthium duntaxat offendisse videntur post tantum temporis adhuc *infecti sanguine currus;* sed ob eam, quam dixi, rationem tota fictio est perridicula. Hæc Ille.

XXXVII.

Γένναν Καβάρνου θῆκεν ἀγακλέας ὀργεῶνας.

SUIDAS v. Ὀργεῶνες, ut doceat vocabulum ὀργεὼν subinde simpliciter de *sacerdote* adhibitum, laudat Æschylum in Mysis (recept. p. 878. ed. Par.), atque Antimachum ἐν τῇ Λυδῇ γενεᾷ· Καβάρνους θῆκεν ἀβακλέας ὀργεῶνας. Eosdem auctores consilio non alio adhibet Harpocration p. 265. Οἱ μέν τοι ποιηταὶ ἔταττον τοὔνομα ἁπλῶς ἐπὶ τῶν ἱερέων, ὡς Ἀντίμαχός τε που καὶ Αἴσχυλος ἐν Μυσοῖς. Nostri poetæ verba in Suida misere deformata esse, nemo non videt. Nam primo nihili sunt ἐν τῇ Λυδῇ γενεᾷ. Nusquam Antimachi liber hac inscriptione legitur insignitus; nec magis placet Maussaci Λυδῇ γενναίᾳ. Fuit, cum suspicarer, in posteriori voce libri Antimachei numerum latere; sed nova comminisci periculum est in loco, qui jam plurium Aristarchorum manus sensit. H. Stephan. in Thesauri T. II. p. 1432. legit ἐν Λήδης γενεᾷ, mox ἀγακλέας, quod et aliis pro mendoso ἀβακλ. in mentem venit. Longius processit Vales. in notis posterior. ad Harpocrat. p. 126., τὸ γενεᾷ ad fragmentum ipsum rejiciens, emendando: Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λύδῃ· Γένναν Καβάρνου θῆκεν ἀγακλέας ὀργεῶνας, *Cabarni posteros saterdotes suos constituit, Ceres* scil. Huic

correctioni probabilitatem, ut in tali re, magnam conciliant duo posteriorum scriptorum loci, etsi non idem omnino dicentium, Stephani Byz. et Hesychii. Horum ille v. Πάρος e Nicanore inter vetera Pari insulæ nomina refert etiam Κάβαρνιν, ἀπὸ Καβάρνου τοῦ μηνύσαντος τὴν ἁρπαγὴν τῇ Δήμητρι τῆς θυγατρός. Hic in Lexico: Καβάρνοι· οἱ τῆς Δήμητρος ἱερεῖς, ὡς Πάριοι. Cf. Bochart. de Col. Phœn. I, 14. et Summum Ruhnken. ad Hom. H. in Cer. 496., ubi Parum quondam Cereri sacram fuisse, his ipsis locis demonstrat, nec se alienum ostendit a Valesii conjectura. Quæ si vera est, mythum a nemine alio testatum inde lucramur; nimirum illius beneficii a Cabarno accepti Cererem memorem, ejus gentem sacerdotio suo honorâsse. Γένναν pro γενεὰν, poeticam vocem, e Lycophrone scite probat Vales., nec alia desunt loca, ubi occurrit, ut Pind. Ol. VII, 40., unde miror Zeunium V. Cel. illud e Lexicis ejicientem ad Xenoph. Cyrop. I, 1. 6. Ceterum verba hic habemus Antimachi, non numeros, neque hos restituere operæ pretium est, cum non raro Grammatici e poetarum locis ea tantum verba soleant adferre, quæ ad consilium suum pertinent.

XXXVIII.

— τῶν μεγάλων ἕρκτορές εἰσι κακῶν.

Advocat hunc pentametrum capite truncatum Etymologus, p. 375. l. 40, ubi ἕρκτωρ explicat ὁ πρακτικός, et ab ἕρξω eodem modo deducit ἕρκτωρ, ut ab ἄξω ἄκτωρ, ab ἕξω ἕκτωρ. Nam sic Etymol. leviter corrigi debebit. Possem, si hic locus esset, ostendere, formam ωρ de agente aliquo antiquitus valde frequentatam fuisse, quum contra rarius in serioribus scriptoribus occurrat. Mansit ea tamen, ut alia Græcorum antiquissima, Latinis communior. Pertinent huc, præter jam adducta, κοσμήτωρ, πράκτωρ, βασιλεύτωρ

cum similibus multis. Ἄκτωρ exstat ap. Æschyl. Eumen. 402., ubi v. Intpp. et reponendum forte est in Hom. Hym. VI, 55., ubi nunc leg. δὴ κάτωρ, ut scribatur δή ἄκτωρ. Aut e cod. Moscov. ap. Ill. Ruhnken. Ep. crit. p. 60. exsculpendum δή ἐλατήρ, quod me docuit Egregius noster Wolf., et omnino magis placet de *gubernatore navis*. Nam forma solennis est ἐλαύνειν νῆα, ut in Odyss. sæpe. In Antimacheo versu Mstum Batav. Etym. M., notante Valcken. ad Phœn. p. 607., præbet οἱ τῶν, unde ab eodem restituitur integrum caput: Ὅσσοι σῶν μ. ε. ε. κ. An alia auctoritate poetæ ἕρκτωρ hodie possit muniri, equidem nescio. Versum probabiliter e Lyde petitum esse, opinatur Valcken. l. c.

XXXIX.

Schol. Apollon. Rh. I, 211. Τούτους (n. Zeten et Calain) *ἐκ διαφόρων τόπων συμπλεῦσαι τοῖς Ἀργοναύταις φασίν. Οἱ μὲν γὰρ ἐκ Θράκης, ὡς Ἀπολλώνιος· Ἡρόδωρος δὲ ἐκ Δαυλίδος· Δοῦρις δὲ ἐξ Ὑπερβορέων· Καταλέγει δὲ τούτους καὶ Ἀντίμαχος· Φανόδικος δὲ ἐν ά Δηλιακῶν ἐξ Ὑπερβορέων αὐτοὺς ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν πλοῦν.* Ad Lyden pertinet hoc, quo in carmine Argonautarum res uberius a poeta tractatas esse, supra jam monui. Atque ex hoc scholio pæne quis conjiciat, a principio et ordine illorum iter percensuisse Antimachum.

XL.

Idem I, 1289., ubi de Hercule, Argonautarum comite, varias auctorum narrationes persequitur, quod doctum scholion eo magis totum apponam, cum hic Scholiastes non in omnium manibus sit: *Ἀπολλώνιος μὲν ἀπολελεῖφθαι φησὶ τὸν Ἡρακλέα περὶ Κίον, ἐκβάντα ἐπὶ τὴν τοῦ Ὕλα ζήτησιν. Διονύσιος δὲ ὁ Μιτυληναῖος συμπεπλευκέναι φησὶ τὸν ἥρωα*

τοῖς ἀριστεῦσιν ἕως Κόλχων, καὶ τοῖς περὶ Μήδειαν συμπεπραχέναι τῷ Ἰάσονι· Ὁμοίως Δημάρατος· Ἡρόδωρος δέ φησι, μὴ συμπεπλευκέναι αὐτόν τε καὶ τινὰς ἄλλους. Ἡσίοδος δὲ ἐν τῷ Κήϋκος γάμῳ ἐκβάντα φησὶν αὐτὸν ἐφ' ὕδατος ζήτησιν, τῆς Μαγνησίας παρὰ τὰς ἀπὸ τῆς ἀφέσεως αὐτοῦ Ἀφέτας καλουμένας ἀπολειφθῆναι. Ἀντίμαχος δὲ ἐν τῇ Λύδῃ φησὶν ἐκβιβασθέντα τὸν Ἡρακλέα διὰ τὸ καταβαρεῖσθαι τὴν Ἀργὼ ὑπὸ τοῦ ἥρωος. Τούτῳ καὶ Ποσείδιππος ὁ ἐπιγραμματογράφος ἠκολούθησε καὶ Φερεκύδης. Ἔφορος δὲ ἐν τῇ έ (corr. ά. e Schol. ad v. 1168.) φησὶν αὐτὸν ἑκουσίως ἀπολελεῖφθαι πρὸς Ὀμφάλην τὴν Λυδῶν βασιλεύουσαν. Magnam mythorum diversitatem hoc Schol. ostendit, cum quo conferendi inprimis sunt Herodot. VII, 193., ubi Hesiodum sequitur, et Orphic. 654. sqq. Apud Aristotel. de Rep. III, 13. novam et alibi vix obviam rationem video, qua Argonautarum numero Alcmenæ filius excluditur, nempe, τοὺς Ἀργοναύτας τὸν Ἡρακλέα καταλιπεῖν· οὐ γὰρ ἐθέλειν αὐτὸν ἄγειν τὴν Ἀργὼ μετὰ τῶν ἄλλων, ὡς ὑπερβάλλοντα πολὺ τῶν πλωτήρων. Jam, in tanta varietate, nostro liberum erat, rationem eligere eam, quæ consilio suo maxime conveniret, atque hoc, nisi conjectura admodum fallor, fuit, ut Herculem Omphalæ servientem in carmen induceret, quod in tempus Argonautici itineris incidisse prodiderant. Non credibile enim, doctum poetam de Lyda muliere dicentem Omphalen Lydorum reginam ejusque amores tacuisse. Si non minus probabiliter cujusque fragmenti sedem indagare liceret, bene esset. Ratio autem, cur Hercules a ceteris relictus fuerit, repetita est ex antiquioris ævi notione vulgari, de deorum adeoque etiam heroum majori pondere, quam eandem et in Homero agnoscimus Il. ε. 838. sq. Cf. Stat. Th. V, 401. *Amphitryoniades puppem alternus utrimque ingravat*, ibique Barth. Ceterum ad rem cf. Apollodor. I, 9. 19. et Ill. Heyn. in Notis p. 187.

XLI.

Idem ad Apoll. Rh. II, 178., qui poeta Phineum, Salmydessi Thraciæ regem, prodit Agenoris filium, in scholio hujus famæ auctorem ponit Hellanicum, additque: *Ὡς δὲ Ἡσίοδος φησὶ, Φοίνικος τοῦ Ἀγήνορος καὶ Κασσιεπείας· ὁμοίως δὲ καὶ Ἀσκληπιάδης καὶ Ἀντίμαχος καὶ Φερεκύδης φασὶν. Ἐκ μὲν Κασσιεπείας τῆς Ἀράβου Φοίνικι γίνεται Κίλιξ καὶ Φινεὺς καὶ Δόρυκλος κ. λ.* Hellanici rationem plurimi sequuti sunt, in his auct. Orph. Arg. 678. Alii Neptuni filium dixerunt. Cf. quos laudat van Stav. ad Hygin. F. 19. Scholio nostro similia seu eadem potius, at mire deturpata, apposuit Eudocia p. 414.

XLII.

Schol. Apoll. Rh. II, 296. *Στροφάδας φησὶ κεκλῆσθαι διὰ τὸ τοὺς Βορεάδας αὐτόθεν ὑποστρέψαι, στραφέντας εἰς τοὐπίσω· λαβὼν παρὰ Ἀντιμάχου. Οἱ δὲ Στροφάδας φασὶν κεκλῆσθαι, καθὸ ἐπιστραφέντες αὐτόθι ηὔξαντο τῷ Διῒ καταλαβεῖν τὰς Ἁρπυίας. Κατὰ δὲ Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον καὶ Ἀπολλώνιον οὐ κτείνονται.* Nempe ab Apollonio a vs. inde 262. inducuntur Boreadæ, Zetes et Calais, Harpyias persequentes magno impetu, donec eas, interventu Iridis, prope Plotas insulas dimittunt indeque revertuntur. Hinc, antiqua fama fuit, insulis novum nomen Strophadum a *στρέφειν* venisse. Hanc sequitur Apollonius, in qua præivisse Antimachum e Schol. discimus. Cf. Summum Heyn. ad Apollod. p. 195., ad quem thesaurum mythicæ eruditionis lectores sæpissime ablegandi sunt.

XLIII.

Schol. ibid. ad v. sq. *Αἱ Πλωταὶ νῆσοι μετωνομάσθησαν Στροφάδες. Μέμνηται αὐτῶν καὶ Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λύδῃ.* Si hoc ad eundem locum, quem antea habuimus, pertinet, quod probabile fit, utrumque ad Lyden referendum erit; idque etiam aliunde veri speciem habet.

XLIV.

Idem ad lib. III, 410. ad *ταύρω χαλκόποδε.—Καὶ Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λύδῃ Ἡφαιστοτεύκτους τοὺς ταύρους ἀπεφήνατο.* Plane eadem proponit Scholion ad Pind. Pyth. IV, 398., in quo lacuna sequitur, sed quæ Antimacheo fragmento nos non fraudavit. Agitur de tauris, quos jussit Æetes Jasonem sub jugum mittere. Res nota vel ex Apollod. I, 9. 23. *Ἡφαιστότευκτοι* hi sunt, ex veteri loquendi more, qui alibi dicuntur *χαλκόποδες*, quos noster sermo efferret *duris ungulis præditos.* Sic rudior sentiendi loquendique formula rerum miracula auget. Cf. Heyn. V. Ill. ad Apollod. p. 52. et 202. *Aënipedes* Martis *boves* habet Ovid. Her. Ep. VI, 32.

XLV.

Idem ad IV, 156. *Ἐν τούτοις καὶ τοῖς ἐφεξῆς φησὶ τὴν Μήδειαν ἐπιῤῥαίνουσαν ἀρκεύθῳ τὸ φάρμακον κοιμίσαι τὸν δράκοντα, ἐπᾴδουσαν, καὶ οὕτω τὸ κῶας ἀνελέσθαι, καὶ χωρῆσαι ἀμφοτέρους ἐπὶ τὴν ναῦν, κοιμωμένου τοῦ θηρίου, συμφώνως Ἀντιμάχῳ.* Monemur itaque hoc scholio, tam in mytho de dracone, velleris aurei custode, per Medeam venenis sopito, quam in cetera narratione apud Apollonium, huic poetæ cum Antimacho convenisse, vt adeo hujus nostri

vestigia ille sequutus videri possit. Eadem narrat Apollod. I, 9. 23., relicto Pherecyde, qui cum Herodoro draconem a Jasone occisum tradiderat. Cf. Schol. ad Apollon. Rh. IV, 87., ubi simul videmus, Naupacticorum poetam longius a vulgata fabula de vellere recessisse. Ceterum cf. Orph. Arg. 986. sqq. pulchrum locum, qui Antimachi narrationem ambitiose exornat.

XLVI.

Idem ad IV, 259. *Ἡσίοδος καὶ Πίνδαρος ἐν Πυθιονίκαις, καὶ Ἀντίμαχος ἐν Λύδῃ, διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φησὶν ἐλθεῖν αὐτοὺς εἰς Λιβύην, καὶ βαστάσαντας τὴν Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος γενέσθαι.* Mythus de Argonautarum reditu, multorum poetarum ingeniis frequentatus, mire variatur, ut notum est. V. Gesner. ad Orphic. Arg. p. 427, sqq. et inprimis Ill. Heyn. ad Apollod. p. 206., cujus verba huc facientia adjicere liceat: Hecatæus ex Phaside in Oceanum, inde in Nilum, ex hoc in patriam navigâsse: scilicet Orientem circumvectos: forte eadem sequutus est Pindarus Pyth. IV, 34. sq. 447. et cum eo Hesiodus et Antimachus in Lyde, nisi quod non per Nilum, sed navigio trans Libyam humeris portato per Tritonidem paludem mare mediterraneum intrâsse narraverant.

XLVII.

Schol. Apollon. Rh. IV, 1153. *Ἰστέον, ὅτι Τιμαίου λέγοντος, ἐν Κερκύρᾳ τοὺς γάμους ἀχθῆναι. Διονύσιος ὁ Μιλήσιος ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν ἐν Βυζαντίῳ φησίν. Ἀντίμαχος ἐν Λύδῃ πλησίον τοῦ παταμοῦ μιγῆναι αὐτῇ φησὶ τὸν Ἰάσονα.* De loco, ubi Jasonis cum Medea nuptiæ factæ, fama non convenit. Apollon. l. l. speluncam in Phæacum insula habet, Macridis olim habitatione celebratam, ean-

dem posthac dictam ἱερὸν ἄντρον Μηδείης: sed magnificum ejus locum ipse adiisse neminem pœnitebit a versu inde 1128, sqq. Cum eoque cf. Orphic 1330., ubi hæc jejunius tractata sunt. Alias narrationes persequitur Schol. Apollon. l. c. et ad v. 1141. 1217. Post ποταμοῦ nomen fluvii excidisse videtur. An fuit Φάσιδος vel Πακτώλου? Abhorrentem ab his adoptavit fabulam Valer. Fl. VIII, 217, sqq. narrans, in insula Peuce nuptias inceptas, mox Absyrti subito adventu interruptas fuisse.

III. ΕΠΙΓΟΝΟΙ.

XLVIII.

Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα —

Huic versui, qui legitur in Aristophan., Pace 1269., adscriptum est in Schol. Ἀρχὴ τῶν Ἐπιγόνων Ἀντιμάχου. Quod si certum esset, poeta noster ditaretur novo epico carmine, quod a nemine alio præter hunc Scholiasten excitatum reperi. Verum dubia videtur res esse. Hoc ut melius intelligatur, a versu inde 1264, Comici filum persequar. Ibi nempe Trygæus, persona princeps fabulæ, dimissis tandem omnibus, qui bellorum apparatum curant, nuptias suas cum Opora adornans, duos pueros conspexit, domo egredientes, ut sponsam nuptialibus cantilenis deducerent. Hos illico ad se vocat, jubetque primum, se coram canendi periculum facere. Hic unus puerorum, quasi res suas minus bene edoctus, incipit: Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα—Παῦσαι, ut hexametrum compleat, clamat Trygæus, vir, qui arma, quæque bellum redolent, omnia angue pejus aversatur. Jam versus, qui sic in jocum detorquetur, spectatorum turbæ tritissimus esse debuit, ut

fuerunt Tragicorum sententiæ ac verba, quæ alibi Aristophanes sæpissime salsis parodiis lusit. Nec vero exemplum adesse puto, ubi doctum et reconditum scriptoris opus, non audientibus et ediscentibus, sed legentibus compositum, a Comico ita adhibeatur, nec videtur id fieri potuisse. Tale autem opus Antimachi epos habendum a nobis esset. Quid, quod illo tempore, quo Comœdia acta est, hoc est, Olymp. 89. 3., nullum nostri poetæ carmen ita celebre et notum esse potuit, ut sua vis esset hujusmodi allusioni. Denique reliquos versus, a pueris editos v. 1271. sq. 1275. 1279. sq. si conferas, qui partim Homerici sunt, partim ad horum exemplar tornati, ceterum illa ætate notissimi, quod ipsum de Archilochiis quoque v. 1296. sq. dicendum, elevatur pæne omnis fides Scholiastæ, Antimacho versum tribuentis. Accedit etiam, quod auctor Certam. Hom. et Hesiodi eundem versum, tamquam initium Epigonorum, ad Homerum refert, qui locus a Bentleio Ep. ad Mill. p. 504. indicatus, in noviss. Hesiod. edit, p. 492. sic exstat: Ὁ δὲ Ὅμηρος ἀποτυχὼν τῆς νίκης, περιερχόμενος ἔλεγε τὰ ποιήματα· πρῶτον μὲν τὴν Θηβαΐδα, ἔπη ἑπτὰ, ἧς ἡ ἀρχή·

Ἄργος ἄειδε, Θεὰ, πολυδίψιον, ἔνθεν ἄνακτες.

Εἶτα Ἐπιγόνους, ἔπη ἑπτὰ, ὧν ἀρχή·

Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα, Μοῦσαι.

Φασὶ γάρ τινες καὶ ταῦτα Ὁμήρου εἶναι. Jam etsi hujus Anonymi auctoritas non gravior est, quam illius, habet tamen is antiquiorem famam sibi faventem, de qua v. supra p. 23. Ceterum non inutile erit monere, hoc Epigonorum exordium simillimum esse illi, quo Hesiodus Θ. v. 1020. sibi viam parat ad Κατάλογον γυναικῶν, de quo v. Heyn. V. Ill. ad Apollod. p. 986., nimirum ut ad hunc usque versum poeta, quisquis fuerit, Thebaica priora perpetuo carmine tractâsse videri debeat.

IV. ΑΡΤΕΜΙΣ.

XLIX.

Steph. Byz. Κοτύλαιον· ὄρος Εὐβοίας ἀνακείμενον, Αρτεμιδι, ὥς φησιν Ἀντίμαχος ἐν Ἀρτέμιδος β. Cf. Strabo XIII, p. 612. (898.) et Pausan. VIII, 41. et de titulo poematis supra p. 32.

V. ΔΕΛΤΟΙ.

L.

Ἐλθὼν Εὐκλεία πηγὰς ἔπι δινήεντος.

Athen. VII. p. 300, D. de anguillis loquens inprimis bonas esse narrat *καὶ περὶ τὸν Εὐκλεᾶ τὸν ποταμὸν, οὗ μνημονεύει Ἀντίμαχος ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις Δέλτοις οὕτως·* Ἐλθὼν κ. λ. Fluvius iste mihi ignotus est, et frustra apud Strab. et reliquos Geographos Græcos quæsitus.

VI. ΙΑΧΙΝΗ.

LI.

— τοὶ δ' ἄρ' οἱ ἀβολήτορες ἄνδρες ἔασιν.

Etym. M. p. 4. l. 6. Ἀβολήτωρ. Βολῶ καὶ ἀντιβολῶ· παρ' ὃ τὸ ἀβολήτωρ, ὁ μὴ παρακαλῶν. Ἀντίμαχος Ἰαχίνῃ· τοὶ κ. λ. ἀντὶ τοῦ μάρτυρες, συνηλλαχότες, καὶ συντυχόντες.

Οὕτω Φίλων εἰς τὰ ῥηματικὰ αὐτοῦ. Cf. Hesych. h. v. ibique Intpp. Glossa est ab ἀβολεῖν, quod pro ἀντιβολεῖν seu συναντᾷν dixerunt. Cf. superius p. 32.—SCH. Mihi quidem valde suspectam est istud Ἰαχίνῃ: forsan legendum Ἀντίμαχος: Ἰάχοντι δ' ἄρ' οἱ ἀβ. ἀ. ἔ.—B.

VII. FRAGMENTA INCERTÆ SEDIS.

LII.

Ἴδεώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων ἦν ἀνδρῶν.

EUSEB. Præp. Ev. X. 3., seu potius Porphyrius in loco, quem ille excerpit, de Græcorum scriptorum plagiis, de Antimacho, quem plagiariis Homeri accenset, dicit ita: Ὁ Ἀντίμαχος, τὰ Ὁμήρου κλέπτων, παραδιορθεῖ. Ὁμήρου γὰρ εἰπόντος· Ἴδεώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν· Ἀντίμαχος λέγει· Ἴδεω—ἦν ἀνδρῶν. Καὶ Λυκόφρων ἐπαινεῖ τὴν μετάθεσιν, ὡς δὴ αὐτῆς ἐστηριγμένου τοῦ στίχου. Τὸ γὰρ· Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος—Διομήδης, σιγῶ, Ὁμήρου κωμῳδηθέντος ὑπὸ Κρατίνου διὰ τὸ πλεονάσαι ἐν τῷ, τὸν δ' ἀπαμειβόμενος. Ὅπερ οὕτω πεπατημένον οὐκ ὤκνησεν Ἀντίμαχος μεταθεῖναι. Τοῦ δὲ· Λαῶν, οἷσιν ἄνασσε, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν, Ὁμηρικοῦ ὄντος, καὶ πάλιν ἀλλαχοῦ που λεγομένου· Οἱ δ' ἐπεὶ ἀμφοτέρωθεν ἐκαρτύναντο φάλαγγας, ὁ Ἀντίμαχος μεταθεὶς ἡμιστίχια, πεποίηκε· Λαῶν—φάλαγγας. Integrum locum descripsi, quo facilior ejus esset conspectus. Nunc de singulis videndum. Quod ad primum versum, supra a me exhibitum, attinet, utique in eo παραδιόρθωσιν Homeri agnoscere possis. Numerosior enim profecto Homericus est Il. ι. 554. Attamen multi etiam in Homero versus habentur spondaici, nec alio vitio Antimacheus laborat. Neque adeo quis quovis pignore contendat, in nulla recen-

sionum Homeri, quæ olim tam diversæ fuerunt, in isto versu scripturam ἦν fuisse receptam. Nihilominus Lycophronis, nescio cujus, judicium non capio. De Ida v. ad Fr. LXXII.

LIII.

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη κρείων Διομήδης.

HOMERI versus, hac formula incipientes, plures post Cratinum, cujus auctoritate Porphyrius loco modo laudato utitur, parum gnari antiquæ simplicitatis, ludibrio habuerunt, in his Martial. Ep. I, 46. Sed nescio, an satis recte versum sic scriptum Antimacheis annumerem, cum verba ap. Euseb. non omnino clara et perspicua sint propter ambiguum μεταθεῖναι. Apud Hom. tamen in universa Iliade versus prorsum idem nusquam a me inventus est, præter Il. λ. 316., qui nunc in libris simillimus est. At si ille genuinus fuit Antimachi, quæri potest, utrum e Thebaide sit, an ex alio ejus carmine. Nulla hujus rei diserta mentio in Euseb. Hoc dixi, ne quis loco calide abutatur, et certi hinc aliquid colligi putet ad epici poematis extensionem, cum Diomedis, ut in eo agentis, persona occurrat. Quid, quod ne certi quidem sumus, Tydeine filius hic designetur, an alter, in fabulis æque celeber, de quo v. Summum Heyn. ad Apollod. p. 370.

LIV.

Λαῶν, οἷσιν ἄνασσον, ἐκαρτύναντο φάλαγγας.

LEGITUR ibidem versus, ut dicitur, conflatus e duobus Homericis, nempe Od. β. 234. et Il. π. 563., in quo puerilem Homeri imitationem in nostro arguisse videtur Porphyrius.

Sed ut nostrum defendam, eum sic loqui potuisse puto, etiam si nullus unquam Homerus fuisset, et referenda talia dixerim ad conspirationem plurium idem proferentium fortuitam, de qua Aretidas proprium libellum scripserat, citatum Porphyrio ibid. p. 497. D.

LV.

Τοῖσιν δ' ὑλήεντα διὰ πλόον ἐρχομένοισιν.

NARRATIONI suæ intexuit versum Lucian. Ver. Hist. II, 42. T. II. p. 136., et ipsum per se satis obscurum, et hinc Luciani dicta non minus impedientem. Utrique incommodo, quod diu ibi sensi, egregie medetur locus Schol. Nicand. ad Ther. v. 295. p. 20., ubi poeta civem suum forte imitatus, dixit de serpente: *Βαιὸν πλόον αἰὲν ὀκέλλει, γαίῃ ὑποθλίβων νηδύν.* Subjecta hic est enarratio: *Πλόον· νῦν τὴν ὁδὸν τὴν πεζὴν, τὴν πορείαν. Οὕτω γὰρ καὶ Ἀντίμαχος εἶπε· Τοῖσι δ' ἀν' ὑλήεντα δ. π. ε. Ὡς δὲ καὶ Ἀριστοφάνης ἐν τῷ Γήρᾳ* (deperdita comœdia), *γυναῖκα ποιήσας ἐπὶ ζεύγους ὄνων ὀχουμένην, παράγει τινὰ ἐρῶντα αὐτῆς· ἣ καὶ ἐρεθίζουσα φησὶ πρὸς αὐτόν· Ἀποπλευστέον ἐπὶ νυμφίον ἐστὶν, ᾧ γαμοῦμαι σήμερον.* In postremis Comici verbis scribendis sequutus sum Viri vere critici *Toupii* emendationem certissimam, et, ut ipse modeste vocat, elegantissimam, cum antea legeretur *ἀπέπλεις τεόν*, nullo sensu. V. Emendatt. in Suid. P. III. p. 363. ed. Lips., ubi simul de vocabulis *πλόος πλεειν* ceterisque ejusdem familiæ dicit, quæ doctior loquendi usus non solum de maritimo itinere adhibuit, sed etiam de terrestri. Cf. Hesych. v. *πλοῦς* et v. *ἀποπεῖν· ἀπελθεῖν.* At hæc posterior glossa, antea multum ab Intpp. vexata, præclare ab eodem emendatur: *ἀποπλεῖν*, ac sic ad Aristoph. locum pertinere videtur. In Antimachi versu insuper notandum *πλόον ὑλήεντα διέρχεσθαι*, ita per loca montana, sylvosa (forte Cithæronem) *peragere*. Quamquam

potuit etiam esse *enarrare:* alterum tamen Luciani proposito magis aptum. Quod Nicandri Schol. denique habet ἀν' ὑλήεντα διὰ, vitiosum est, et memoria forsan traxit ex Hom. Od. ξ. 2.—SCH.—Lege una voce διάπλοον.—BL.

LVI.

Δήμητρός τοι Ἐλευσινίης ἱερὴ ὄψ.

Strabo VIII. p. 364. (560.) Ἔνιοι κατὰ ἀποκοπὴν δέχονται (τὴν Μέσσην Hom. Il. β. 582.) Μεσσήνην· εἴρηται γὰρ ὅτι καὶ αὐτὴ μέρος ἦν τῆς Λακωνικῆς· παραδείγμασι δὲ χρῶνται τοῦ μὲν ποιητοῦ, τῷ κρῖ καὶ δῶ καὶ μάψ. Καὶ ἔτι, Ἵππους δ' Αὐτομέδων τε καὶ Ἄλκιμος, ἀντὶ τοῦ Ἀλκιμεδων (Il. τ. 392. cf. ω. 474.) Ἡσιόδου δὲ, ὅτι τὸ βριθὺ καὶ τὸ βριαρὸν βρῖ λέγει. Σοφοκλῆς δὲ καὶ Ἴων τὸ ῥᾴδιον, ῥᾶ. Ἐπίχαρμος δὲ τὸ λίαν, λί· Συρακὼ δὲ τὰς Συρακούσας. Παρ' Ἐμπεδοκλεῖ δὲ

— μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ,

ἡ ὄψις· καὶ παρ' Ἀντιμάχῳ· Δημήτρος—ὄψ, καὶ τὸ ἄλφιτον, ἄλφι. Locus hic classicus est de hujusmodi amputationibus, quem compilavit Eustath. ad Il. p. 223. Bas. Similis amputatio apud Latinos, ut po pro populo, v. Festum p. 354. ed. Gottofr. Hesych. ὄψ, ὄψις, ὀφθαλμός· ἢ φωνή. Ceterum, quod Strabo etiam ἄλφι pro ἄλφιτον e poeta nostro adducit, opportune deprehendimus exemplum in hocce versu: ἐν δ' ἀδόροισι χέειν ἐνίλατον ἄλφι.—SCH.—Lege Ἐλευσίνης, adjective enim interdum dicebatur Ἐλεύσινος pro Ἐλευσίνιος. Epicharmus ap. Athen. IX, p. 374, E. Δέλφακά τε τῶν γειτόνων Τοῖς Ἐλευσίνοις φυλάσσων δαιμονίως ἀπώλεσα. Etym. M. p. 255, 3 male exhibet Ἐλευσινίοις, male etiam τὴν pro τῶν; melius vero γείτονα: unde, si ultimam litteram bifariam dividas, efficietur γείτονος, vera ac sincera lectio: scribe autem τῷ γείτονος. Eratos-

thenes apud Heraclid. Pont. in Allegor. Homer. Καρπὸν Ἐλευσινίης Δημήτερος. Sed recte Achilles Tatius Isagog. in Arati Phænom. p. 100, ed. Juntæ fil. Ἐλευσίνης Δημήτερος. Atque hactenus hæc. Fragmentum vero ita legerim:

Δήμητρός τοι Ἐλευσίνης ἱερὴ ὄψ * * * * *
Δήμητρος, τόθι φασὶν Ἐρινύος εἶναι ἕδεθλον.

secundum versum adjeci ex Arcadicis Pausaniæ, §. 3, p. 425. Fac. ubi seorsim citatur.—BL.

LVII.

— Ἐν δ' ἀδόροισι χέειν εὐίλατον ἄλφι.

Qui ab Etym. M. citatur p. 18. l. 40. ubi vocem exquisitioris usus ἄδορος explicat, quam pro *utre* vel *sacco* posuerat Antimachus: Ἀδόροις. Ἀντίμαχος—ἐν δ' ἀδόρ. κ. λ. Δόρυ γὰρ λέγεται παρὰ ἐκδεδάρθαι δόρος· καὶ δόροι, κατὰ πλεονασμὸν ἄδοροι, ἢ ἀντὶ τοῦ κακόδοροι· οὕτως Ἡρωδιανός. Λέγονται δὲ καὶ κώρυκοι, θύλακοι, ἀσκοί· οἷον οὐ δεδαρμένοι. Postrema etiam Hesych. habet v. ἄδοροι. Ἄλφι et ὕδωρ conjungit auct. Hymn. nuper editi in Cer. v. 208. ubi v. Ill. Ruhnken. Epitheton εὐίλατον accipiendum forte, *quod faventes et propitios reddit deos.* Hor. Od. III, 23. 20. *far pium.* At in Ruhnken. nota reperio scriptum εὐήλατον, consulto, an operarum mendo, mihi non constat.—SCH.—Legendum puto εὐήλατον, i. e. εὖ ἀληλεσμένον.—BL.

LVIII.

Ἠΰτε τις καύηξ δύνῃ ἐς ἁλμυρὸν πέλαγος.

Versum sic turbatum attulit Schol. Apollon. Rh. I, 1008., verba δύπτοντες κεφαλὰς explicans: Ἀντὶ τοῦ δύνοντες τὰς

κεφαλάς.—Δύπτειν δέ ἐστι τὸ δύνειν, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ· Δύπται δ' ἐξ ἁλὸς ἐρχόμενοι. (Plenius exstat Collect. Bentlei. 167.) Πρότερος δὲ Ἀντίμαχος Ἠΰτε κ. λ. Hujus loci correctionem mihi suppeditavit Wolf. V. Cel.

Ἠΰτε τις καύηξ δύπτων ἐς ἁλμυρὸν ὕδωρ.

Postea autem eundem versum paulo aliter restitutum vidi a J. Rutgersio Var. Lectt. p. 191.

Ἠΰτε τις καύηξ δύπτῃσιν ἐς ἁλμυρὸν οἶδμα.

Sed quæ hic conjunctivi vis esse possit, equidem non video, adeoque priorem emendationem unice arripiendam censeo. Ceterum neutraliter verbum ab Antimacho usurpatum, quoquo modo versus legatur, in aperto est, et ita utitur eodem Apoll. Rh. I, 1326. et Lycophron v. 715. pro *submergi* s. *aquam subire*. Καύηξ avis vorax est, *larus* alibi καύης vel κῆξ dictus, de quo v. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 312. Fragmentum ad Lyden videtur pertinuisse, quod unum hoc poetæ carmen semper ille Scholiasta ad partes vocat.

LIX.

Πῶρος τοί γ' ἀλόχοισι καὶ οἷς τεκέεσσιν ἕκαστος.

* * * *

Πωρητὺν ἀλόχοισι καὶ οἷς τεκέεσσιν ἔθεντο.

Schol. Soph. O. C. v. 14. Πωρεῖν οἱ Ἠλεῖοι τὸ πενθεῖν φασί. Καὶ Ἀντίμαχος· Πῶρος—Παρὰ τοῦτο οὖν ταλαίπωρος ἐτυμολογεῖται. Eadem fere exstant in Schol. ad Aristoph. Plut. 33. Posteriorem versum e Suidæ corruptis v. πῶρος et ταλαίπωρος, post Sopingium eruerunt VV. DD. V. Hesych. v. πωρεῖν et πωρητὺς, quod explicat ταλαιπωρία, πένθος, ibique Intpp. Sed quum unum tantum Antimachi versum esse vulgo statuissent, sola scripturæ discrepantia variatum,

primus ita, ut dedi, duos distinxit Hemsterhus. ad Plutum p. 22., cui in hoc facile quisque accedet. Verum quod subjungit, tertium forte versum suppeditari a Schol. Eurip. ad Or. v. 392. Πώρη τοι ἀλόχοισι καὶ οἷς τεκέεσσιν ἕκαστος, id et ipse dubitanter profert, neque equidem præstem. Videtur potius idem versus esse cum priore supra posito. Verba ipsa, unde τὸ ταλαίπωρος Grammatici deducunt, πωρεῖν, ὁ πῶρος s. ἡ πώρη et πωρητύς, glossæ Eleis propriæ esse perhibentur, ut ap. Sophocl. Schol. l. l. At vero non omnibus illa etymologia placuit. V. Eustath. ad Il. p. 699. l. 23. et Od. p. 1559. init., in quo posteriori loco ταλαίπωρος tamquam Tragicorum propria forma pro antiquiori et Homerica ταλαπείριος notatur. Sic fere etiam Etymologus p. 744. l. 50.

LX.

Ὡς εἴτε κλόνιός τε θουρίης σφονδυλίων ἕξ —

Pollux Onomast. II, 4. 178. Τὴν ῥάχιν ἔνιοι τῶν ποιητῶν ὠνόμασαν κλόνιν, ὥσπερ Ἀντίμαχος· Ὡς εἴτε κ. λ. Tota spina dorsi in homine, ut plurimum, viginti quatuor vertebris, σπονδύλοις, σφονδυλίοις (*Wirbel*) constructa est, inter quas septem cervicis sunt, duodecim dorsi, et quinque lumborum, hoc est, partis spinæ inferioris. Sunt tamen in hac etiam interdum sex vertebræ, unde σφονδυλίων ἕξ. Vocem κλόνις autem Antimachus in versu de lumbo adhibuit, sed, ut videtur, non usu prorsus novo ipsique peculiari. Nam Schol. Æschyl. ad Prom. 496 notat: Εὐκίνητος γὰρ οὖσα καὶ σπέρματα ἔχουσα ἡ γαστὴρ θύεται θεοῖς, ἀφ' οὗ (nempe ἀπὸ τοῦ κλονεῖν) καὶ κλόνις ὀνομάζεται διὰ τὸ εὐκίνητον. Atque hæc notatio simul forte illustrabit rationem epitheti θουρίης, quod minus scite vertunt *impetuosi.* Debebat saltem *mobilis* reddi. At de usu verbi θούριος dubitâsse videntur Intpp. ad Polluc., et Kühn. corrigit θο-

ραίης, idque metri causa optime: alii totum versum sic constituunt:

Ὡς εἴτε κλόνιος τεθορυίης σπονδυλίων ἐξ.
Spina labat ceu vertebris cum concita motis.

Nihil tamen in verbis tam abruptis pro certo ponendum. Θουραίην habet Hesych. et explicat ἀνδρείαν, ἰσχυράν.

LXI.

Κοίας ἐκ χειρῶν (εἰς) σκόπελον μεταριπτάζουσι.

Obiter hunc laudat Etym. M. p. 770. l. 10. de voc. κοία hæc habens: Σημαίνει τὴν σφαῖραν. Ἡ χρῆσις παρὰ Ἀντιμάχῳ· Κοίας κ. λ. Et in animo forte hunc ipsum versum habuit Hesych. in glossa: Κοίας· σφαίρας ἢ λίθους, ubi similes aliorum Grammaticorum explicationes vide in Notis. Moschopulus κοίαν accipit στρογγύλον λίθον, apposite ad nostri usum. Proprie vocabulum fuisse videtur *circulus*, tum *lapis, ob figuræ rotunditatem.* Εἰς uncis inclusum, explicando adjectum, removendumque puto, ut sanis pedibus hexameter decurrat. Ejus vim jam sustinet μετὰ in verbo.

LXII.

Πολλὰ δὲ μῆλα, τάπερ ἀφνήμονας ἄνδρας.

Idem p. 178. l. 10. Παρὰ τὸ ἄφενος γίνεται ἄφνος, κατὰ συγκοπὴν, ᾧ κέχρηται Πίνδαρος· Οἱ δ' ἄφνει πεποίθασιν. (v. Cel. Schneideri Fragm. Pind. p. 65.) Ἐκ τούτου γίνεται ῥῆμα, ἀφνῶ, καὶ ἐξ αὐτοῦ, ἀφνήμων. Ἀντίμαχος· Πολλὰ κ. λ. Post τάπερ excidit verbum, ποιεῖ aut simile aliquod.

Vocabula ἀφνῶ et adjectivum ἀφνήμων glossis accensenda sunt, quas in scriptoribus haud facile reperias.

LXXIII.

— Ληχμὸν δ' ἐμπάζεσθαι ἀλεείνων.

IDEM p. 371. l. 21. v. Ἐρεχμός.— Διωχμὸν λέγουσιν (οἱ Αἰολεῖς) καὶ ληχμὸν, ὡς Ἀντίμαχος· Ληχμὸν κ. λ. Scilicet δίωξις mutârunt in διωχμός, λῆξις in ληχμός. Hinc posterius explicat Hesych. λῆξιν. Prius alibi non occurrit, ut puto.

LXIV.

Πλῆσεν δ' ἄρ' ἐπιστράψας δέπαστρον.

IDEM p. 443. l. 55. v. Θαύμακτρον· Παρὰ Ἀντιμάχῳ, τὸ δεπάζω, δέπαστρον· οἷον· Πλῆσεν—δέπαστρον. Οὐχ ὑγιῶς ἐχρήσατο τῷ σημαινομένῳ· ἐθήκαμεν γὰρ ἐπὶ τοῦ ποτηρίου τὴν λέξιν, τὸ δεπαζόμενον· αὐτὸς δὲ ἀντὶ τοῦ δεπάζοντος, ὡς εἰ πινόμενον εἰρήκει ἀντὶ τοῦ πίνοντος. Ut Etymologi judicium caperemus, opus erat integro loco poetæ. Nunc videtur vox utique eodem sensu posita, quo supra Fr. IX. X. Ἐπιστράψας est pro ἐπιστρέψας, si modo veram scripturam habemus.—SCH.—Sylburgius conjicit ἐπιστρέψας. Tu vero lege πλῆσεν δ' ἄρ' ἐπιστέψασα δέπαστρον. Iliad. A. 470. κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, ubi notatu dignum est Seberi indicem exhibere ἐπεστρέψαντο. Hesych. Ἐπεστέψαντο, πλήρεις ἐποίησαν. Ἐπιστέφει, κεραννύει. Ἐπιστεφὲς, πλῆρες. κεκραμένον. Consule Kuster. in Suid. v. Ἐπιστεφέας κρητῆρας. Iliad. A. 41. κεφαλαὶ δὲ οἱ ἦσαν

Τρεῖς ἀμφιστεφέες, ἑνὸς αὐχένος ἐκπεφυυῖαι. Hesych. Ἀμφιστεφέες· ἀλλήλαις περιπεπληγμέναι, ἢ πάντοθεν πλήρεις. Valckenærius in Misc. Obs. T. VIII, p. 150. Grammaticum scripsisse suspicatur, Ἀμφιστρεφέες, ἀλλήλαις περιπεπλεγμέναι, ἢ Ἀμφιστεφέες, πάντοθεν πλήρεις: vetus enim et optima lectio ab Homeri interpretibus commemoratur; quæ conjectura, opinor, dormitanti Valckenærio excidit; quid enim, quæso, intelligere potuerat Hesychius per κεφαλαὶ, πάντοθεν πλήρεις? Atqui omnia se recte habent, modo περιπεπλεγμέναι reponas; in priore glossa locum Homericum respexit, in posteriore alium quendam. Sed, ut ad viam redeamus, simili errore Euripidem ap. Schol. in Phœniss. 1194. liberavit Barnesius, Ἐγὼ δὲ τὸν σὸν κρᾶτ' ἀναστέψαι θέλω, ubi olim ἀναστρέψαι. Hæc optime admoveri possint ad Eurip. Suppl. 260, γλαυκὴν χλόην Αὐτοῦ λιποῦσαι φυλλάδος καταστροφῇ, ubi Scaliger emendat καταστεφῇ. Cæterum observandum est vocem δέπαστρον occurrere in alio Antimachi fragmento apud Athen. XI, p. 468, A. B.—BL.

LXV.

— Λαχμὸν δ' οὐ δείδιεν ἵππων.

Idem p. 558. l. 25. Λαχμῷ· τῷ δασεῖ τῶν ἐρίων. Σέλευκος (Alexandrinus criticus) δὲ ἀξιοῖ διὰ τοῦ ν γράφεσθαι λάχνῳ, ὃ σημαίνει λάχνην. (Ita rectior verborum erit ordo.) Ἀντίμαχος δὲ τῶν ἵππων τὸν λακτισμόν· οἷον· Λαχμὸν κ. λ. Illud agit de Hom. Od. ι. 445. ubi plures λάχνῳ maluerunt. V. ibi Eustath. Hoc de vi insolentiore vocis λαχμὸς ap. Antimachum. Eandem vim spectat Hesych. glossa: λαχμῶν· ἱππείων λακτισμῶν.

LXVI.

Κισσοῦ τε κλυμένοιο, καὶ ἀμπελίνης —

HESYCH. v. Κλύμενος.—Λέγεται δὲ καὶ κισσὸς, ὡς Ἀντίμαχος· Κισσοῦ κ. λ. Aut species quædam hederæ designatur, aut nihil horum intelligo.—SCH.—Manifestum est vocem Κισσοῦ nihil aliud esse quam interpretamentum τοῦ κλυμένοιο. Sed enim vox ista κλύμενος pauci est; quapropter repone, ὡς Ἀντίμαχος· Περικλυμένοιο καὶ ἀμπελίνης. Hujus emendationis fidejussorem habeo Nicandrum, ipsum quoque Colophonium, quique ex Antimacho multa mutuatus est, teste Scholiasta ejus ad Theriac. fol. 27, ed. Ald. Ita enim ille in Theriac. 510. Φυλλά τε κισσήεντα περικλυμένοιο φέρουσα. Hoc confido probatum in doctioribus, qui, unde et quomodo Lexicon suum consarcinârit Hesychius, probe sciant.—BL.

LXVII.

DIODOR. Sic. III, 64. Τῶν ποιητῶν τινὲς, ὧν ἐστι καὶ Ἀντίμαχος, ἀποφαίνονται τὸν Λυκοῦργον οὐ Θρᾴκης, ἀλλὰ τῆς Ἀραβιάς γεγονέναι βασίλεα, καὶ τῷ τε Διονύσῳ καὶ ταῖς Βάκχαις τὴν ἐπίθεσιν ἐν τῇ κατὰ τὴν Ἀραβίαν Νύσῃ πεποιῆσθαι. Fundum fabulæ habes in Hom. Il, ζ. 130. sqq., ubi tamen rerum scena a poeta non diserte definitur. Retulerunt plurimi ad Thraciæ regionem, et Lycurgum Edonum regem tradiderunt. V. Apollod. III, 5. princ. et Diodor. l. c. Alii in alias terras fabulam omnem pro lubitu traduxerunt. Sed v. Eustath. Il. p. 629. Schol. min. ad Hom. l. l. imprimisque Ill. Heyn. ad Apollod. p. 563.

LXVIII.

Pausan. Bœot. c. 35. p. 781. Ἀντίμαχος οὔτε ἀριθμὸν Χαρίτων, οὔτε ὄνομα εἰπὼν, Αἴγλης εἶναι θυγατέρας καὶ Ἡλίου φησὶν αὐτάς. In mytho tali, totque poetarum diversis ingeniis informato, qualis ille Gratiarum fuit, nequaquam mirum, tam multa reperiri dissidia, de quibus disertius Pausan. l. c. Etenim quidvis fingere poetis maxime liberum in iis fabulis erat, quæ non essent solenni religione sacratæ. Itaque Antimachea narratio non nisi allegorica videatur, eamque apud reliquos scriptores frustra quæsiveris; nisi forte ap. Phurnut. de N. D. c. 15. dicentem: Ἔνιοι Εὐάνθην ἔφασαν τὴν μητέρα τῶν Χαρίτων εἶναι, τινὲς δὲ Ἀγλαΐην, quod posterius nomen in Αἴγλην ex Antimacho docte mutat Galeus. Attamen vulgatum tuetur Eudocia p. 430. ubi Phurnutum ad verbum descripsit.—Lacedæmoniis, quibus duæ tantum Gratiæ erant, altera dicebatur Φαεννά, quod nomen cum poetæ nostri fictione non male congruit. V. Pausan. Lacon. p. 254.

LXIX.

Schol. min. ad Hom. Il. ε. 389. Ἐὰν μὴ ἡ του Ἑρμοῦ μητρυιὰ, ἡ Ἐρίβοια, ἀπήγγειλε τῷ Ἑρμῇ, ἵνα ἐκκλέψῃ τὸν Ἄρην τοῦ δεσμοῦ. Ἐρίβοια δὲ, ἡ ἀέρια καὶ μεγάλα βοῶσα. Ἀντίμαχος δὲ ὁ Κολοφώνιος τὴν Ἐρίβοιαν μητρυιὰν Ὤτου καὶ Ἐφιάλτου παραδίδωσι. Historia qua l. c. Homerus Dionen usam inducit, de Marte ab Aloidis aliquando vincto, ac demum, Eribœa prodente, Mercurii ope liberato, tum temporis in vulgus videtur fuisse notissima, cum nobis ea sit obscurior, adeo ut ne certo quidem constet, cujus μητρυιὴ intelligatur Eribœa, Martisne an Mercurii an Aloïdarum. Indefinite enim ab Hom. dictum. In hoc dubio

jam antiqui fuerunt, ut prior scholii pars docet. Sed præclara est posterior ob poetæ nostri testimonium, forte in Lyde injectum. Atque hujus fide, ut qui propior ætate istorum mythorum fontibus erat, niti debebimus in Homero, ut *noverca Aloïdarum* accipiamus. Quod et olim a nonnullis factum, prodit alterum scholion ad v. 385. verbis: *ἡ Ἐρίβοια, ἡ τῶν Ἀλωειδῶν μητρυιά.* Exemplum hic habemus, quo vel abruptæ e deperditis scriptis sententiæ usum suum ostendant.

LXX.

Plutarch. Symposiac. IV, 8. ubi quæsiverant, quid sint apud Empedoclem *μῆλα ὑπέρφλοια*, p. 683, E. Scriptor sic pergit: *Εἰπόντος οὖν ἐμοῦ ταῦτα, Γραμματικοί τινες ἔφασαν ὑπέρφλοια λελέχθαι τὰ μῆλα διὰ τὴν ἀκμήν.* Τὸ *γὰρ ἄγαν ἀκμάζειν καὶ τεθηλέναι, φλοίειν ὑπὸ τῶν ποιητῶν λέγεσθαι· καὶ τὸν Ἀντίμαχον οὕτω πως φλοίουσαν ὀπώραις εἰρηκέναι τὴν τῶν Καδμείων πόλιν.* Respicit eodem alius ejusdem libri locus, IX, 9. p. 735. D. Τὸ *θέρος καὶ τὸ μετόπωρον —, ὅτε μάλιστα χλωρὰν καὶ φλοίουσαν, ὡς Ἀντίμαχος ἔφη, τὴν ὀπώραν γενομένην κ. λ.* Hic *χλωρὰν* ad illustrationem sequentis verbi videtur ab ipso Plutarcho præpositum. Poetæ dicta exitum versus efficere potuerunt, hoc modo: *Καδμείων δὲ πόλιν φλοίουσαν ὀπώραις*, h. e. *Thebanorum urbem fructibus abundantem.* Forma *τοῦ φλοίειν*, ut et verbi significatio, e rarioribus est, nec, quantum video, enotata a Lexicographis. Hesych. tamen *φλέειν* habet et expl. *γέμειν, εὐκαρπεῖν, πολυκαρπεῖν.* Accedit Ælian. V. H. III, 41. Τὸ *πολυκαρπεῖν οἱ ἀρχαῖοι ὠνόμαζον φλύειν, ὅθεν τὸν Διόνυσον Φλεῶνα ἐκάλουν*, ad q. l. v. Perizon. Videntur vero *φλέω, φλίω, φλείω, φλύω, φλοίω* omnes nonnisi diversæ unius verbi formæ fuisse, et notio parilis, nempe, *plenus sum, ferax, floreo, fructibus luxurior*, de arboribus in primis et vitibus. Et ita recte ab hoc verbo derivatur *φλόος* s. *φλοιός*. Non

enim hoc de cortice tantum dixerunt veteres, sed τὴν χλωρότητα καὶ τὸ ἄνθος τῶν καρπῶν eo vocabulo universe designâsse notat Plut. l. c., et affert Arati versum de Sirio:

Καὶ τὰ μὲν ἔῤῥωσεν, τὸν δὲ φλόον ὤλεσε πάντα.

Legitur ille in Phænom. 335. ubi dictis consentanee, ultima a Cicerone vertuntur.

Denudat foliis ramos et cortice truncos.

V. Opp. Ciceron. T. IV. p. 1125. Ern. Mox adjecit Plutarchus: Εἶναι καὶ τῶν Ἑλλήνων τινὰς, οἳ Φλοΐῳ Διονύσῳ θύουσιν, quæ conferenda sunt cum Æliano.

LXXI.

— Τήνου τ' ὀφιοέσσης.

Conservavit verba Schol. Aristoph. ad Plut. v. 718. in scholio perturbato, et, ut Hemsterhus. ad locum p. 242. egregie animadvertit, e pluribus forte conflato: Ὅτι ἐν τῇ Τήνῳ, μιᾷ τῶν Κυκλάδων νήσῳ, ὄφεις καὶ σκορπίοι δεινοὶ ἐγίνοντο· ἢ ὅτι ἡ Τῆνος δριμύτατα σκόροδα φέρει. Ἡ Τῆνος δὲ αὕτη θηριώδης δοκεῖ εἶναι· καὶ Εὔπολις Πόλεσι· Τῆνος δέ γ' ἡ πολλοὺς ἔχουσα σκορπίους. Καλλίστρατος δὲ ἐπὶ τὸ σαφὲς κατηνέχθη, ὡς σκοροδοφόρου τῆς γῆς οὔσης. διὸ καὶ τὸ παρὰ Ἀντιμάχῳ· Τήνου τ' ὀφ., οὐ καλῶς ἔχειν δοκεῖ. (Küsteri editio præbet οὐ κακῶς, quod vitium Hemsterhusii notam legenti imponere potest: sed vitium typographi id esse, anteriores quædam edd. a me inspectæ vincunt.) Tenus nota maris Ægei insula, passibus mille ab Andro dissita. Hanc olim et Ὑδροῦσσαν et Ὀφίουσσαν appellatam esse, docet Steph. Byz. h. v., cujus segmentum, Athenæo suo II. p. 43. D. hic relicto, exscripsit Eustath. ad Dionys.

Perieg. 525. 530. Prius nomen tractum dicunt ab aquarum abundantia, auctore jam Aristotele ap. Plin. H. N. IV, 12. 22. ubi v. Harduin. Probabiliter tamen hanc rationem nominis rejicit Bochart. de Col. Phœn. I, 14. p. 409. insulamque potius ob hydrorum seu serpentum copiam Hydrussam dictam esse autumat. Inde certe altera venit appellatio, et sic priscum nomen insulæ, poetarum more, in epitheton ab Antimacho versum agnoscas. Mireris autem jure, cur Grammaticus id dixerit minus bene factum. Nempe, si vera conjecit Spanhem. in Aristoph. l. c. quem in hoc sequi malim, existimavit is, qui scholion appinxit, terram eandem non simul et allii et serpentum fecundam esse posse. Quod quam docte, quam indocte existimaverit, movere nos in ipsa scholii interpretatione nullo modo debet. Teno itaque manebit allium suum, auctore ipso Aristophane l. l., manebunt etiam serpentes, quamvis hi odore allii abigi dicantur veteribus. v. Plin. XX, 6. 23. Nam partim primis temporibus serpentum copia infestare insulam potuit, ut et alias infestârunt regiones adhuc incultas, unde nomen Ophiussa hæsit pluribus. v. Spanhem. de V. et P. N. T. I. p. 319. Partim et in aliis ita natura benigna fecit, ut malorum, quæ dedisset, remedia hominibus non recusaverit. Noxiis enim morsibus viperarum curandis allium veteres adhibuere. Quidquid sit, Tenus anguifera bene dici a poeta potuit. Dixit autem ὀφιοέσσης, quo id cunque loco in versu posuerit, prima syllaba producta, quod insolentissimum est. Quid igitur? corruptum dicamus vocabulum? Nullo modo. Immo huc pertinet, quod Clark., loco jam ad Fr. XXIII. citato, de prima polysyllaborum contra naturam subinde producta animadvertit. Nimirum, nisi in talibus hoc sibi licere poetæ putâssent, usu eorum omnino abstinere debebant. Accedit ad hoc pronunciationis veteris ratio, qua litteram π in φ latentem eodem modo forte geminabant, ut in aliis consonis, scribendo non duplicatis, similiter factum, de quo v. doctam Præfat. Wolfii ad Hom. Il. p. XXXV. Jam si auctoritatem adhuc quæris certiorem, habebis hanc in ipso Homero ipsaque voce ὄφις, in ultima regione collocata

Il. μ. 208. Ibi absona finxerunt Grammatici, dum μειουρίαν figuram inde exsculpserunt, quippe ὄφιν pro Pyrrhichio habentes, sicut alios versus dixerunt ἀκεφάλους, ipsi sæpe ἀκέφαλοι. V. Eustath. p. 900. l. 7. R. et Ernesti Not. Verum partim viderunt, qui ὄπφιν scribere malebant, ὀκνοῦντες, ut Eustath. l. c. ait, διπλάσαι τὸ φ, διὰ τὸ οὐχ Ἑλληνικὸν τῆς γραφῆς· ἀνὴρ γὰρ Ἕλλην οὐ διπλάζει τὰ δασέα. Simul Eust. exempla confert primæ in σκύφος productæ, expilans Athen. XI. p. 498., ubi loca Panyasidis, Anacreontis et Melampodiæ in hanc rem adducuntur. Quod si teneamus in his, quæ de diversitate pronunciandi ante dixi, tum in Hom. opus non erit trajectione verborum: ὅπως ὄφιν αἰόλον εἶδον, nec pejore aliqua correctione, quæ nodum secat. Ceterum verba, quæ tractavimus pace lectorum prolixius, sedem videri possunt habuisse in Lyde, ubi occasio erat de infortunio Zetæ et Calais dicendi, qui a justis Peliæ funebribus redeuntes, in Teno insula ab Hercule occisi sunt. V. Apollon. Rh. I, 1304. et Acusilaum ap. Apollod. III, 15. 2. ibique Ill. Heyn. p. 856.

LXXII.

Etym. M. p. 465. l. 10. v. Ἴδας· Τὰ εἰς δας δισύλλαβα, εἰ μὲν περιττοσυλλάβως κλίνονται (si crescunt casibus obliquis), διφθόγγῳ παραλήγεται, οἷον Φεῖδας, Φείδαντος· Οἶδας, Οἴδαντος· εἰ δὲ ἰσοσυλλάβως, ἐνὶ φωνήεντι, οἷον Λήδας, Λήδου· Μίδας, Μίδου· τὸ γὰρ διὰ τοῦ ντ κλινόμενον, Μείδας, Μείδαντος, διὰ διφθόγγου. Οὕτως οὖν καὶ Ἴδας, Ἴδου· ὅθεν καὶ Ἀντίμαχος ἥμαρτεν εἰπὼν διὰ τοῦ ι· Ἴδαντος κούρη. Ad grammaticam observationem cf. Eustath. ad Odyss. p. 1390. Potior quæstio est de Ida, quem hic et altero Fr. LII. in carmine memoravit Antimachus. Jam utrumque locum comparanti, aliaque reputanti vero simillimum videbitur, Idam a poeta dictum non diversum esse ab eo, qui

Homero celebratur in versibus jam ante laudatis Il. ι. 553. sqq. Est is Apharei filius, Lyncei notissimi illius frater, quocum et ipse inter Argonautas fuit (V. Apoll. Rh. I, 151. sqq.), ceterum Marpissæ raptor, e qua Cleopatram sustulit, alias vocatam Alcyonen. Ad hanc referre non dubitem verba Ἴδαντος κούρη, cum alius Idæ filia nulla fabulis nobilitata innotuerit. Hoc autem posito versus etiam alter ad eundem spectare videbitur, eoque magis, quod ipsa Homeri verba, ὅς κάρτιστος ἐπιχθονίων ἦν ἀνδρῶν, de alio heroe vix bene retineri potuerint. Jam si hæc Antimachi fragmenta ad Thebaidem retuleris (quod de priore sane probabiliter fiat), forsan hinc intelliges, unde Idam suum Statius acceperit, quem ille sæpius eadem ferocitate, qua ab aliis quoque inde ab Homero notatur, in conspectum producit, inprimis libro VI, 553. sqq., ubi ludos funebres Archemori institutos tam ambitiose describit. At vero eum nullo loco Latinus poeta Apharei filium prodidit. Fuit nempe altera fama, quæ Neptunum ipsi patrem tribuit, narrante Apollodoro III, 10. p. 233. Cujus quidem famæ auctorem alium quem afferam in Græcis certe, non habeo. Nec tamen Statio nihil auctoritatis est in talibus, quæ ex antiquioribus hausta, non a se ficta, in carmen suum intulit; isque suum Idam, castra Adrasti sequutum, *Tænarium* dicit VII, 588., quod forte doctum epitheton pro *Neptuni prole* habendum. Tænarus enim, Laconiæ urbs, Neptuno sacra, vel e Corn. Nep. in Paus. c. 4. nota est, ubi v. Intpp. Alius præterea ap. Stat. adhuc Idas est inter Thebanos, quem *Onchestium* vocat, ubi necem ejus memorat, VIII, 467., non miscendus ille cum priore. Ceterum, quod Idam nostrum primum Argonautam aprique Calydonii venatorem, mox etiam bello Thebano interfuisse tradiderint, id non mirum videatur illis, qui istarum rerum tempora nôrunt. Compares cum his, si lubet, Burman. Catal. Argon. v. *Idas*. Hic, si erravi, in errores me induxit.

LXXIII.

— ὅτι ἀφνειέστατος ἔσκεν.

Verba servavit Eustath. ad voc. ἀνιηρέστερον Od. β. 190., eamque comparativi formam p. 1441. l. 10. R. uberius explicat his verbis: Τὸ ἀνιηρέστερον ὤφειλε μὲν εἶναι ἀνιηρότερον, μέτρου δὲ χάριν οὕτω λαλεῖται· ὡς καὶ τὸ αἰδοιέστερον καὶ λοιπὰ τοιαῦτα, ἐν οἷς καὶ τὸ, ἀμορφέστατος γυνὴ παρ' Ἡροδότῳ ἐν ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις· (An hodie in Herodoto ea forma vulgetur, dubito) καὶ τὸ ποδηγέστερον ἐκ τοῦ ποδηγὸς, ἀντὶ τοῦ, ὁδηγητικώτερον, ὅπερ ἐν τοῖς τοῦ Σουΐδα κεῖται. (v. Tom. III. p. 136.) Πλεονάζει δὲ τοιαύταις παραγωγαῖς καὶ ὁ Πίνδαρος. Οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ ταῦτα φασὶν. Εὕρηται καὶ δικαιέστερον, καὶ ἀκρατέστερον ἐκ τοῦ ἄκρατος. (Superlativ. ἀκρατέστατον exstat Plut. Phileb. p. 73. ed. Fischeri V. Cel. Ἐπίχαρμος δὲ καὶ ἀλλοιέστερον λέγει, καὶ ἐπιηρεστέραν καὶ ἀναγκαιέστατον καὶ ὡραιέστατον. Στησίχορος δὲ, ὑπερθυμέστατον ἀνδρῶν. Ἑκαταῖος δὲ, οἱ Βιαντίδαι ἄνδρες σπουδαιέστατοι ἐγένοντο. Καὶ Ἡρόδοτος τὰ σπουδαιέστατα τῶν πραγμάτων (L. I. c. 8. Δημόκριτος δὲ ἐπιτηδειέστατον φησὶ, καὶ Δεινόλοχος, γενναιέστατον. Ἀντίμαχος δὲ, ὅτι ἀφνειέστατος ἔσκεν. Εὔπολις δὲ πόλιν θεοφιλεστάτην οἰκοῦσιν, ἀφθονεστάτην τε χρήμασι. Πίνδαρος, ἀπονέστερον (Olymp. II. III.). Σέλευκος δὲ παρ' Ὁμήρῳ φησὶ τὴν Ἀριστοφάνειον γραφὴν ἔχειν, Ἀτρείδη κύδιστε, φιλοκτεανέστατε πάντων. (Il. α 122.) Hujus universi loci descriptionem hic non ægre laturos æquales spero, cum eoque conferant ceteros a Piersono laudatosad Mœrid. p. 25. Homero regulares formæ in usu sunt, ἀφνειότερος Od. α. 165., ἀφνειότατος Il. υ. 220.

LXXIV.

— — χολάδας δέρτροισι καλύψας.

Eustath. ad Odyss. λ. 578. vocem δέρτρον, diversæ ibi explicationi obnoxiam, dilucidans, hisce poetæ verbis utitur p. 1700. l. 10. R. Δέρτρον οἱ μὲν τὸν ἐν τοῖς ἐγκάτοις ἐπίπλουν, ὡς Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος δηλοῖ ἐν τῷ· χολ. δ. κ. Ἀπολλόδωρος δὲ, τὸν περὶ κοιλίαν ἐπίπλουν, ὃν καὶ ἀργέτην δημὸν ἐκεῖνος καλεῖ. Δωριεῖς δὲ, τὴν ὑπὸ τὴν δορὰν σάρκα τὴν περικαλύπτουσαν τὴν κοιλίαν, δέρτρον φασί. Καὶ ἄλλως δὲ κατὰ τοὺς παλαιοὺς γοργότερον εἰπεῖν, δέρτρον, ἡ ὑπὸ τὴν σάρκα πιμελὴ, ἢ ὁ ὑποκείμενος ὑμὴν τῷ ἤπατι, ἢ ὁ ἐπίπλους, ἢ ἡ δορά, ἢ τὸ ἦτρον. Ἄλλοι δὲ τὸ ἐφήβαιον δέρτρον εἶπον. Ἱπποκράτης δὲ ἐν τῷ περὶ τραυμάτων φησίν· Οὐ σαρκοφυήσει ἐντέρου τὸ λεπτὸν δέρτρον. Ex hoc loco, quo sensu δέρτρον Antimachus dixerit, apparet, neque vulgare ab hujus auctoritate momentum accedit sententiæ eorum, qui ap. Hom. quoque vocem de omento intestinis superinducto, seu de peritonæo accipiunt, inter quos et ipse Aristarchus est. V. Etym. M. p. 257. l. 29. Cum alii multi δέρτρον ibi vulturis rostrum intelligant. Sed v. Apollon. Lex. Hom. p. 272. cum Ill. Villoison. nota, Hesych. h. v. et ibi ab Intpp. laudatos, præcipue Föesium Decon. Hippocr. h. v.; de vocab. χόλαδες vero Sallier. et Pierson. ad Mœrid. p. 405.

LXXV.

— — οὐδὲ σπιδόθεν προνοῆσαι.

Etym. M. p. 271. l. 19. in glossa, quæ ad Il. λ. 753. pertinet, et antiquos Grammaticos non parum exercuit. Quærebant nempe, utrum δι' ἀσπιδέος πεδίοιο, an διὰ σπιδέος ibi

esset legendum. Pro illa scriptura, quoniam verbum in Homero ἅπαξ λεγόμενον erat, pugnâsse videtur etymologia, pro hac usus etiam seriorum scriptorum, quam tamen normam minus certam in Homerica crisi esse didici. Scilicet ἀσπιδὴς adjectivum deduxerunt ab ἀσπὶς, adeoque πεδίον ἀσπιδὲς exposuerunt περιφερὲς, δίκην ἀσπίδος πάντοσ' ἐΐσης, μηδενὸς ἄλλου ὁρωμένου τέρματος, ἀλλὰ τοῦ ὁρίζοντος ἀέρος. Mitto enim pravam explicationem, qua Etymol. mox cum Schol. min. campum multis mortuorum heroum armis obtectum intelligit. Σπιδὲς vero, eadem vi pro ἐκτεταμένον, πλατὺ, μακρὸν acceptum, plurium poetarum auctoritatem habuisse conjicias ex Etymologo: Καὶ γὰρ Αἰσχύλος πολλάκις οὕτως ἔχειν τὴν λέξιν τίθεται οἷον, Σπίδιον μῆκος ὁδοῦ. Addit Eustath. ad Il. loc. p. 882. l. 58. ex eodem poeta σπίδιον πεδίον. Atque hanc lectionem, si Etymologum bene intelligo, Zenodotus et Crates Mallotes, Grammatici, prætulere, horumque sententiæ accedere se malle profitetur Etymol., quia πολλὴν τὴν χρῆσιν παρὰ τοῖς ἀρχαίοις repererit. In his adverbium est σπιδόθεν, quod pro μακρόθεν in verbis supra positis adhibuisse Antimachum docet. Post illa omnia tamen ἀσπιδὴς et σπιδὴς forte sola pronunciatione, neque vero origine sua diversa aliquis dixerit: quamquam Eustath. l. c. alterum ad etymon σπίζω, quod explicat ἐκτείνω, referat. Cf. Hesych. v. σπίδεος et ibi Intpp. et Suid. v. δι' ἀσπιδέος.—SCH.—Etym. M. p. 271, 17, ad Homericum διὰ σπιδέος πεδίοιο. Κράτης λέγει ὅτι τινὲς μὲν ἀπὸ τοῦ ᾱ ποιοῦνται τὴν διαστολὴν, ἵν' ᾖ, δι' ἀσπίδεος πεδίου ....., Οἱ δὲ φασὶ σπιδέος, πολλοῦ καὶ μακροῦ .... καὶ Ἀντίμαχος, "οὐδὲ σπιδόθεν προνοῆσαι." ἀντὶ τοῦ μακρόθεν καὶ ταῦτα μὲν Ἀρίσταρχος· Κράτης δὲ προκρίνει τὴν δίχα τοῦ α γραφὴν, καὶ Ζηνόδοτος, καὶ φησὶ, σπιδέος, τουτέστιν ἀσπόρου καὶ τραχέος καὶ μεγάλου. κἀγὼ συγκατατίθεμαι τοῖς ἀνδράσιν· ὁρῶ γὰρ πολλὴν τὴν χρῆσιν παρὰ ἀρχαίοις.—Qui locus insigniter luxatus est, atque hac opera emendandus. Ecquis vero non juraret Etymologici conditorem e sua opinione dicere, et quasi e cathedra pronuntiare κἀγὼ συγκατατίθεμαι τοῖς ἀνδράσι? Nihil minus:

totum locum exscripsit ex antiquis in Homerum scholiis, atque ex iis hunc in modum corrigendus. Pro Κράτης λέγει repone Ἀρίσταρχος: et mox Κράτης δὲ προκρίνει τὴν διὰ τοῦ α γραφὴν, καὶ Ζηνόδοτος (δὲ συναινεῖ τῇ δίχα τοῦ ᾱ γραφῇ) καὶ φησὶ, σπιδέος τοῦ ἀπόρου καὶ τραχέος καὶ μεγάλου. (καὶ Ἀμερίας δὲ λέγει, σπιδέος, τοῦ πολλοῦ καὶ εὐρέος καὶ μεγάλου·) κἀγὼ δε συγκατατίθεμαι τοῖς ἀνδράσιν· ὁρῶ γὰρ πολλὴν τὴν τοιαύτην χρῆσιν παρὰ τοῖς ἀρχαίοις.—BL.

LXXVI.

Κονισσάλεον δίφρον.

Ετυμ. M. p. 261. l. 48. de accentu adjectivorum in αλεος desinentium: Δειμαλέος· εὐλαβής· ὥσπερ ἀπὸ τοῦ τάρβος γίνεται ταρβαλέος, οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ δεῖμος, δειμαλέος. Δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι τὰ διὰ τοῦ αλεος ὑπὲρ τρεῖς συλλαβὰς πρὸ μιᾶς τὸν τόνον ἔχουσιν· οἷον ἀργαλέος νηφαλέος. Σεσημειωμένα δὲ εἰσὶ (a regula excepta sunt) τέσσαρα ταῦτα· Δαιδάλεος, ἀπὸ τοῦ δαιδάλειος· ἔστι καὶ κονισάλεος—Κονισάλεον δίφρον παρὰ Ἀντιμάχῳ· ἀπὸ τοῦ κονισάλειος, ἀποβολῇ τοῦ ῑ· ἀτασθάλεος, ἀπὸ τοῦ ἀτάσθαλος πλεονασμῷ τοῦ ε̄ γέγονεν, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀτασθάλειος αἰθάλεος. Scribitur sic, accentu in antepenultimam retracto, etiam in Hesych. Supra duo sigmata exaravi: nam aliter in carmine poni non potuit. Vocabulum inter glossas referendum.

LXXVII.

— — Θέρεος σταθεροῖο.

Suidas T. III, p. 367. Σταθερόν· ὀξὺ, ἰσχυρὸν, θερμὸν, στάσιμον· τὸ διὰ τὴν ὀξύτητα τῆς κινήσεως ἑστάναι δοκοῦν.

Πλάτων ἐν Φαίδρῳ· Μήπω, ὦ Σώκρατες, πρὶν ἂν τὸ καῦμα παρέλθῃ. ἢ οὐχ ὁρᾷς, ὡς σχεδὸν ἤδη μεσημβρία ἵσταται, ἡ καλουμένη σταθερά;—Δύναται μέν τοι καὶ θερμοτάτη εἶναι· ἢ σταθερὰ, ὀξεῖα οὖσα. Καὶ γὰρ τὸν ἥλιον, ὅταν μᾶλλον ἐκκαῇ, ὀξὺν εἰώθασι λέγειν. Σημαίνοι δ' ἂν καὶ τὸ στάσιμον, τῷ μέσον τι εἶναι τῆς ἡμέρας, καὶ μηδ' ἐφ' ἕτερον κλίνειν. Καὶ Κρατῖνος δ' ἐν Σερίφοις ἐπὶ τοῦ ὀξέος ἢ ἰσχυροῦ. Οὕτω σταθερὸς τοῖς λωποδύταις ὁ πόρος πεινῶσι παφλάζει. 'Αντίμαχος· Θέρεος σταθεροῖο. Reliqua non huc pertinent. Adhibuerunt Græci, præsertim Attici, vocem σταθερὸς de rebus pluribus, quæ in summo vigore seu ἐν ἀκμῇ essent constitutæ, de quibus alias simpliciter ponunt verbum ἵστασθαι. Unde fuit, cum Platonis a Suida adductum locum Phædr. p. 242. A. Steph. non liberum a glossematis suspicione putarem, et abjicienda ἡ δὴ καλουμένη σταθερά. Exempla hujusmodi, ubi simpliciter ἵστασθαι μεσημβρία dicitur, e pluribus auctt. Atticæ dictionis attulit Vir Summus Ruhnken. ad Timæum p. 168., qui locus inprimis consulendus est. Ceterum, ut alii ἥλιον σταθερὸν de sole ferventissimo, ἦμαρ σταθερὸν de meridie, et similia dicebant, ita Antimachus idem vocabulum de fervidissimo æstatis calore usurpavit. Sic Schol. Apoll. Rh. I, 450. σταθερὸν reddit καυματηρὸν, θερμόν.—SCH.—Citat Scholiasta Platonis, p. 60. ed. Ruhnk. Apud eandem Suidæ glossam in loco ex Æschyli Ψυχαγωγοῖς citato, pro σταθεροῦ χρήματος, manifesto legendum σταθεροῦ κύματος,* i. e. *Cum placidum ventis staret mare.* Hesych. Σταθερόν· γαληνὸν, εὔδιον.—BL.

---

* MS, quidem χεύματος. Sed recte κύματος. Pari medicina sanandus est Æschylus apud Strabon. I, p. 33. κῦμα θαλάσσης, ubi male editur χεῦμα.

LXXVIII.

Ἐννεάμυκλος ὄνος, παρὰ Ἀντιμάχῳ. Ὄνου μύκλαι δὲ λέγονται αἱ ἐν τοῖς σκέλεσι τῶν ὄνων περιγραφαί. Herodian. Philetær. p. 439. libello a Piersono post Mœrid. primum vulgato. Eadem verba ab aliis tribuuntur Callimacho (v. Fragmm. Bentl. 180. p. 509.), ut solennis hic duorum nominum confusio facta videatur. At vero non video, cur non ante Callimachum poeta aliquis idem epitheton, doctum et poeticum adhibere potuerit; adeoque nihil certi definiendum credam. Hesych. explicat Μύκλοι· αἱ περὶ τὰ σκέλη καὶ ἐν τοῖς ποσὶ καὶ ἐπὶ νώτου τῶν ὄνων μέλαιναι γραμμαί. Ex harum linearum seu rugarum numero ætas forte in asinis dignoscebatur, ut Steph. ait ad Hesych. glossam; Ἐννεάμυκλος ἰσχυρὸς, ἐνναετής.

LXXIX.

Steph. Byz. Ἀμφιγένεια, πόλις Μεσσηνιακή· Στράβων ὀγδόῃ· Ἔστι δὲ κατὰ μὲν Ἀπολλόδωρον τῆς Μακιστίας, κατὰ δὲ τὸν Ἀντίμαχον τῆς Μεσσηνίας. Ἔχει δὲ ἡ πόλις Λητοῦς ἱερόν· φασὶ γὰρ ἐκεῖ παραγενομένην Λητὼ τεκεῖν τὸν Ἀπόλλωνα. Amphigeniam habemus in urbibus Nestoreo imperio subjectis Il. β. 593., unde Apollodorus de ea in commentario ad Catalogum dixisse videri potest. Locus Strabonis jam ad Steph. Byz. excitatus, legitur VIII, p. 349. (537.) Apud Stat. Theb. in Catalogo copiarum IV, 178. *Capaneo parere dati, quos fertilis nutrit Amphigenia*, ubi v. Barth.

LXXX.

Steph. Byz. v. Ἄργος. Ἀργείωνες λέγονται, ὡς Καδμείωνες· καὶ Ἀργειώνη, ὡς Ἀντίμαχος.

LXXXI.

Steph. Byz. v. Ὑπερβόρεοι.—Ἀντίμαχος τοὺς αὐτούς φησιν εἶναι τοῖς Ἀριμασποῖς· Berkel. hic male tentat πρὸς τοῖς Ἀριμασποῖς, licet auctores sint, quos hujus sententiæ patronos advocare potuerit. Sed v. Schol. Pind. ad Olymp. III, 28. ubi quinque versus leguntur Pherenici poetæ, qui indicantur in notis L. Holstenii. De hyperboreis, qui plura desideret, adeat VV. DD. qui nuper hoc argumentum magna cum doctrina tractârunt, præsertim Freret. Mem. de l'Acad. des Inscriptt. et B. L. T. XVIII. p. 192. et Fischeri Quæstionum Petropol. ab Ill. Schloetzero edit. quartam, saltem Gesner. ad Orphic. p. 460. sq.

LXXXII.

Eustath. ad Il. Hom. β. 2. Οἱ δὲ νήδυμον ὕπνον φασὶ τὸν ἡδὺν, πλεονασμῷ τοῦ ν'· καίτοι τινὲς οὐ βούλονται φωνήεντι δασυνομένῳ τὸ ν' προστίθεσθαι. Οἱ δὲ παλαιοὶ φασὶ, καὶ δίχα τοῦ ν' εὑρίσκεσθαι ἥδυμον παρὰ τοῖς μεθ' Ὅμηρον, ὡς παρὰ Ἀντιμάχῳ καὶ Σιμωνίδῃ. Nempe in versu Homeri erant, qui distinguere mallent ἔχεν ἥδυμος, male, jam monente Eustathio. In Iliade certe et Odyssea semper reperitur νήδυμος, nec alterum alibi valde frequentatur. Occurrit id tamen in Hymn. in Mercur. 241. et 448. et ibi quidem non dubie. Quo ipso veteres isti, quos Eustath.

l. l. citat, hunc Hymnum Homero juniorem statuere debebant. Cf. Etym. M. p. 420. l. 46. p. 602. l. 54.—SCH.—Antimachi locum citat Scholiasta Villoisoni, Ἐπεί ῥα οἱ ἥδυμος ἐλθών. et. Simonidis οὗτος δέ τοι ἥδυμον ὕπνον ἔχων—fortasse Εἶχεν, ut versus initium sit.—BL.

LXXXIII.

Etym. M. p. 710. l. 28. v. Σειραίνω.—Ἔνιοι δὲ πάντα τὰ ἄστρα σείρια καλοῦσι, τείρια ὄντα καὶ σημεῖα τῶν πλεόντων. Ὁ δὲ Ἀντίμαχος σείρινα τὸν Δία ἔφη, διὰ τὸ ἄστρον. Meliores codices, ni fallor, aliquando dabunt σείριον τὸν Δ. Neque tamen intelligo, qua ratione Jovem ita dicere potuerit. Apud ceteros Lexicographos hujus glossæ notationem non reperio. In prioribus ἔνιοι—καλοῦσι Ibycum potissimum intelligi, discimus e Suida et Hesychio.—SCH.—Locus manifesto corruptus. Lego σείριον τὸν Διὸς ἔφη Διὸς (vel Δία) τὸ ἄστρον *Sirium Jovis dixit Jovis sidus:* vel etiam σείριον τὸ Διὸς ἔφη ἄστρο. Sed fortasse pro σείρινα legendum est σειρῆνα e Lexico Rhetorico apud Eustath. ad Od. M. p. 1720, 54, ed. Rom. Σειρῆνες, τὰ ἄστρα. σείρια γὰρ καλοῦνται παρὰ τὸ σειριᾶν, ὅ ἐστιν ἀστράπτειν, ὅθεν ἴσως καὶ τείρεα.—BL.

LXXXIV.

Suidas: Ἀνατυπῶσαι· ἀντὶ τοῦ ἀνατρέψαι. Ἀντίμαχος. Küsterus corr. ἀνατροπῶσαι, quoniam interpretatio non convenire videatur Glossæ. Sed habet hæc, quo defendatur. Nam rem cum *reformamus*, quod proprie est ἀνατυπῶσαι, priorem formam tollendo, res quasi destruitur; et simile est nostrum *umformen*.

LXXXV.

Γαιη δα· τὴν Φοίβην. Ἀντίμαχος. Hesych. ad q. l. sic egregie Hemsterhusius: Per Φοίβην intelligenda est *Phœbe*, Cœi qui Latonam genuit soror, *Cœli Terræque* filia; ideoque *Γαιηΐδα* dixit Antimachus, poeta ut obscurus, sic eruditus, quemadmodum Homero *Γαιήϊος υἱὸς* Tityus.—V. Hesiod. Θ. 136. et alios.

LXXXVI.

Hesych. *Ἑανηφόρος· ἡ Ἠὼς, παρὰ Ἀντιμάχῳ.* Glossa perspicua est. Nam cum *ἑανὸς* substantive dicatur *πέπλος* (v. Clark. ad Hom. Il. γ. 385.), *ἑανηφόρος* Ἠὼς eadem est, quæ Homero *κροκόπεπλος*, Il. ϑ. 1. et al. Sic et Lampetie, Solis filia, *τανύπεπλος* Od. μ. 375.

LXXXVII.

Hesych. *Εἰσκονιανοί· οἱ Ἐφέσιοι, ὡς Ἀντίμαχος·* Duplex vitiosi vocabuli emendatio est, altera Küsteri, *οἱ Σαμονιανοί* (a *Σαμονία*, antiquo nomine Ephesi, V. Hesych. v. *Σάμον*.): altera Sopingii, dissolventis *ἔϊσκον Ἰαννοί.* Hæc quidem, probata etiam Vossio ad Catull. p. 220. magnoque Hemsterhus. ad Hesych., magis mihi arridet, hoc præsertim argumento, quod verba melius accommodari poterant versui, quam *Σαμονιανοί.* Attamen non advertisse videntur, qui Soping. conjecturæ favent, hic *Ἴαννοί* esse pro *Ἴαννες*, durissimo metaplasmo. Hesych. v. *Ἴαννα. Ἐπεὶ Ἴαννας*

τοὺς Ἕλληνας λέγουσιν; nempe diversa pronunciatione pro Ἰάονας. v. ad Hesych. T. II, p. 8.

LXXXVIII.

IDEM: Ἐπίηρα· τὴν μετ' ἐπικουρίας χάριν μεγάλην, ἢ ἐκ τῆς περιουσίας ὡς Ἀντίμαχος. Docemur ita, Antimachum voce ἐπίηρα, ut substantiva et neutrius generis usum fuisse, quod contra eos est, qui vocem hanc omnino e græcitate eliminant, ut Intt. ad Hesych. v. Ἦ ῥα et Brunck. V. Cel. ad Analect. Gr. p. 112. T. III. Sed v. doctam Præfat. Wolfii, Viri immortaliter de me meriti, ad Hom. Iliad. p. XXI.

LXXXIX.

HESYCH. et Lex. Rhet. Ms. ap. Ruhnken. in Auctario T. II. subjuncto: Ζειροφόρος ὁ Ἀΐδης, παρὰ Ἀντιμάχῳ. Videtur esse a ζειρά, quæ indumenti species quædam fuit. V. Etym. M. p. 410. l. 20. Hesych. v. ζειρά, et plures ibi citt.

XC.

HESYCH. Σύστενον· στενοχωρουμένον· τρίχινος χιτὼν, ἢ ῥυπαρός. Ἀντίμαχος.—SCH.—Manifestum est duas glossas perperam conjungi. Lege Σύστενον· στενοχωρούμενον. Τρύχινος χιτὼν, ὁ ῥυπαρός. Ἀντίμαχος. Τρύχινος emendabat Salmasius. Etymol. M. p. 768, 45. Τρίχινον, παρὰ τὸ τρύχω τὸ καταπονῶ, τὸ καταπονοῦν. καὶ ἀλγῦνον τὸ σῶμα: ubi legendum esse τρύχινον cæcus viderit. Omnino consulendus Davisius ad Max. Tyr. XIII, 5, p. 545, qui hanc vocem egregie administravit.—BL.

XCI.

Hesych. Χηρήϊον οἶκον· παρὰ Ἀντιμάχῳ, τὸν ἄτακτον.

XCII.

Μεμυζότε μυδαλέω τε.

Eustath. ad Od. ν. p. 523. l. 46. Bas. Μύζω· ἐξ οὗ τὸ μεμυζότε μυδαλέω τε, παρὰ Ἀντιμάχῳ.

XCIII.

Anonymus de Hom. poesi T. V. p. 151. Opp. Hom. ed. Ern. Ὅμηρον τοίνυν Πίνδαρος μὲν ἔφη Χῖόν τε καὶ Σμυρναῖον γενέσθαι, Σιμωνίδης δὲ Χῖον, Ἀντίμαχος δε καὶ Νίκανδρος Κολοφώνιον.—De Colophonio Antimacho loqui auctorem, non vana conjectura est. Minus liquet, de opere, ubi hanc notitiam dederit. Grammaticum illud credere, nihil nos cogit. Nam et Simonides in carmine Homerum Chium prodiderat (v. C. 104. Analect. Brunck. T. I, p. 145.), nec Pindari prosaicum scriptum fuit. Quomodo autem hic poeta Homerum simul Chium at Smyrnæum potuerit habere, non assequor. Sed procul dubio mendo laborat auctoris locus, emendandus, si tanti est, e Grammatico ined. ap. Iriarte V. Cel. in Bibl. Matrit. Codd. Gr. p. 233. ubi in simili Vita hæc, partim absurda, traduntur: Ἀναξιμένης καὶ Δαμάστης καὶ Πίνδαρος Χῖον τὸν Ὅμηρον ἀποφαίνονται.—Ἀντίμαχος δὲ Κολοφώνιον· Στησίμβροτος δὲ Σμυρναῖον· Φιλόχορος δὲ Ἀργεῖον· Καλλικλῆς δὲ Σαλαμίνιον. Ἀριστόδημος δὲ ὁ Νυσσαεὺς (Grammaticus Alexandr. laudatus Eustath. ad Il. ι. 453.) Ῥωμαῖον αὐτου

ἀποδείκνυσιν ἔκ τινων ἐθῶν Ῥωμαικῶν· ἄλλοι δὲ Αἰγύπτιον. κ. λ. Ceterum hæc notitia de Antimacho, Homeri patriam prodente, congruit fere cum illa Tatiani, de qua supra pag. 10. Not. x. At dubia ea res est. Cf. Küster. ad Suid. T. I. p. 224.

XCIV.

Schol. Ms. Leidensis ad Hom. Il. δ. 400. de Tydeo: Ἀντίμαχος φησὶν, ὅτι παρὰ συφορβοῖς ἐτράφη. Scholion edidit Valcken. ad Phœn. p. 662. Narratio ipsa videtur locum in Thebaide habuisse. (*Vide Villoison. Schol. ad l. c.*)

VIII. ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

XCV.

Τίπτε μόθων ἄτλητος, Ἐνυαλίοιο λέλογχας,
Κύπρι; τίς ὁ ψεύστας στυγνὰ καθᾶψε μάταν;
Ἔντεά σοι γὰρ Ἔρωτες ἐφίμεροι, ἅ τε κατ' εὐνὰν
Τέρψις, καὶ κροτάλων θηλυμανεῖς ὄτοβοι.
Δούρατα δ' αἱματόεντα μέθες Τριτωνίδι δία
Ταῦτα· σὺ δ' εὐχαίταν εἰς Ὑμέναιον ἴθι.

Ubi exstet hoc poemation, supra dixi p. 33. Factum id esse apparet in imaginem Veneris armatæ. In describendo extu Brunckium V. Ill. ante oculos habui. V. 1. ἄτλητος non verti debet *intolerabilis*, sed *quæ pati non potest*, s. *impar est perferendo.* Quæ vis licet non vulgata sit, tamen analogia similium, ut τλητὸς πολύτλητος, satis defenditur.

Ita *intolerabilis* pro *impatiente* Latine etiam dictum Afranio ap. Non. II, 435. quem locum Gesnero debeo in Thes.— Τίπτε Ἐν. λέλογχας: *Quid tibi cum Marte ejusque operibus rei est?* V. 2. ad στυγνὰ intell. ὅπλα: *Quis mentitor ille fuit, qui temere tibi horrida affinxit arma?* Καθᾶψε pro καθῆψε, unde f. corr. etiam v. I. ἄτλατος. Cum v. 3. sq. cf. simillimos Hesiodi Theog. 204. sqq. V. 5. Τρίτωνις notum Minervæ epith. Hymenæus mox εὐχαίτας, ut puer formosissimus, qualem deum finxerunt poetæ et artifices. Denique εἰς h. l. simpliciter est πρός, cum alibi εἰς τινα dicatur pro πρός τινος sc. οἰκίαν. Sed cf. Il κ. 211. ubi hæc propria notio non magis urgenda est, quam hic.—SCH.—Interpungerem τίς ὁ ψευστάς; στυγνὰ καθᾶψε μάταν. —BL.

XCVI.

Γηγενέας τε θεοὺς προτερηγενέας τε Τιτῆνας.

Occurrit apud auctorem Vitæ Arati, ed. Buhl. vol. ii, p. 441.

XCVII.

Λοιβίδας.

Vide Athen. XI, 486, a. ubi Clearchus dixisse narratur καλεῖσθαι λοιβίδας καὶ τὰ σπονδεῖα ὑπὸ Ἀντιμάχου τοῦ Κολοφωνίου.

XCVIII.

Ἀντίμαχος (ἐν τῇ Λύδῃ) ὅτι τοὺς Σολύμους ἀνεῖλε θεοῖς ὄντας προσφιλεῖς, διὰ τοῦτο μισηθῆναι αὐτόν φησιν ὑπὸ τῶν θεῶν. Villoison. Schol. ad Il. Z. 200.

INDEX FRAGMENTORUM ALPHABETICUS.

TABULA

EORUM QUÆ IN HOC LIBRO REPERIUNTUR.

* Titulus editionis Schellenb. hic est *Antimachi Colophonii Reliquiæ. Nunc primum Conquirere et Explicare instituit Car. Adol. Gottl. Schellenberg. Accessit Epistola Frid. Aug. Wolfii, Eloq. et Poes. in Academia Fridericiana Professoris Publ. Ord. Halæ Saxon. Sumtibus Hemmerdeanis*, 1786.

C. Whittingham, Tooks Court, Chancery Lane.



